MASTER
NEGATIVE
92-80745-10

AUTHOR:
NIGGETIET, FRIEDRICH

TITLE:
DE CORNELIO LABEONE COMMENTATIO . . .

PLACE:

DATE:
1908

Master Negative #

92-80745-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87L11
DB

Niggetiet, Friedrich.
De Cornelio Labeone commentatio ... quam ... scripsit Fredericus Niggetiet... Typis R.Noske Bornensis. 1908.
88 p. 23 cm.

Thesis. Münster.
Bound with: Boehm, Benno. De Cornelii Labeonis aetate. 1913.

211364

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 9/15/92 INITIALS MGY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

DE CORNELIO LABEONE

Commentatio philologica

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum physicorumque ordinis in alma litterarum universitate Guilelmia Guestfala Monasteriensi ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Fredericus Niggetiet
Guestfalus.

TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MCMVIII

CONSENSU ET AUCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHORUM COMMENTATIONEM TYPIS EXPRESSAM ESSE TESTATUR

REINHOLDUS DE LILIENTHAL
ORDINIS PHILOSOPHORUM H. A. DECANUS.

AD ORDINEM PHILOSOPHORUM DE COMPROBANDA COMMENTATIONE RETTULIT

GUILELMUS KROLL.

PARENTIBUS SACRUM.

De Cornelio Labeone.

Philologis saepenumero crimini datum est, quod in perscrutandis libris, quorum auctores in historia litterarum parvi ne dicam nihili aestimandi sunt, permagna opera absumpta tempus tererent. Quod opprobrium iustum esset, si veteres homines eodem iudicio usi essent atque nos, qui uniuscuiusque scriptoris esse putamus novi aliquid proferre nisi libros oblivione obrui vult. Qua de re veteres longe aliter iudicabant, apud quos imprimis temporibus Caesarum, ubi paucis exceptis scriptores nihil per se inveniebant, mos erat, ut omnes priorum auctorum libros excerperent atque compilarent. Quo factum est, ut scriptores, quorum opera nobis servata non sunt, maxima ex parte de libris scriptorum, qui si hac aetate fuissent, oblitterati essent, cognoscamus. Fontibus igitur eiusmodi hominum indagandis enixe operam navamus, quod ibi frustula doctrinae celeberrimorum virorum, quos ex libris ipsis quoniam amissis cognoscere non licet, nos inventuros esse speramus.

Hac enim ratione fieri potuit, ut Kettner[1]) et Kahl[2]) illustrarent, quid libri continerent Cornelii illius Labeonis, cuius opera omnia saeculorum malignitate interierunt. Fragmenta huius theologi Romani ex singulis scriptoribus Arnobio, Augustino, Macrobio, Servio, Lydo, aliis J. Muelleneisen[3]) colligebat. Ac primus auctor, cuius in libris doctrina Cornelii Labeonis in-

---

[1]) Kettner, Cornelius Labeo. Ein Beitrag zur Quellenkritik des Arnobius. Naumburg 1877.

[2]) W. Kahl, Cornelius Labeo. Ein Beitrag zur spätrömischen Literaturgeschichte. Philolog. V. Suppl. V. Heft.

[3]) J. Muelleneisen, De Cornelii Labeonis fragmentis, studiis, adsectatoribus. Marburg 1889. Qua de commentatione vide Kahlii iudicium in Wochenschr. für Klass. Phil. 1890 Nr. 24.

venitur, Arnobius est, qui quamquam nusquam Cornelii nomen profert, in omnibus fere partibus libri, qui inscribitur adversus gentes,[1]) eius opera compilat atque excerpit. cf. Kahl l. c. p. 720 sqq. et Röhricht[2]) p. 30 sqq. Arnobius cum in ceteris omnibus libris non certum adversarium petere videatur, immo iine ullo ordine modo haec modo illa instituta paganorum vituperet, in altero libro, ubi de anima humana verba facit, in unum eundemque hominem, cuius nomen obstinate silet, invehitur. Cuius adversarii in nomine constituendo Röhricht l. c. in p. 30 valde haesitat modo Arnobium contra Plotinum, philosophum celeberrimum, pugnare ratus, modo contra alios Neoplatonicos. cf. verba eius: „Hindert nun nichts, in diesen Worten (supra initium XV. capitis libri II. allatum est) . . . . etwa die psychologische Theorie von Neuplatonikern ihren Hauptmomenten nach angedeutet zu finden, so werden wir auch die Stelle II 62 für dieselbe Vermutung anziehen können, zumal sich nicht nur die Lehre der dort genannten scioli nonnulli, sondern auch die Praxis der magi ohne Schwierigkeit auf Neuplatoniker und vor allem den Plotinus selbst deuten läßt.“ Altero loco idem fortasse ad Labeonem, si hunc aliquid de anima scripsisse constet, omnia, quae ab adversario dicantur de anima humana, referri posse censet. Quam rem nihil aliud nisi coniecturam esse ipse fatetur cf. p. 40. Tum in adnotatione p. 44, ne unam quidem sententiam Neoplatonicorum in hac parte operis inveniri professus: „Wenigstens lassen sich in den Erörterungen des Arnobius kaum sichere Anhaltepunkte dafür entdecken, daß er es mit den von ihm bekämpften Gegensätzen im einzelnen auch wirklich in spezifisch neuplatonischer Gestalt zu tun hat,“ denique hanc coniecturam affert: „Das Wahrscheinliche ist also dies, daß sich Arnobius in die charakteristischen Einzelheiten der neuplatonischen Psychologie, die er aus einer anderen Quelle als Labeo war, schwerlich kannte, aber auch bei ihm gewiß nur in einer durch mancherlei Fremdartiges getrübten und darum vielleicht schwer verständlichen Form fand, weiter gar nicht hineineingearbeitet, sondern es vorgezogen hat, sich das ihm durchsichtigere und bekanntere platonische Urbild gegenüberzustellen, ja in der Polemik gegen das letztere die ganze Richtung, für welche Labeo eine Art Repräsentant war, abzutun und so seine Aufgabe in viel wirksamerer Weise zu lösen glaubte.“ Quae coniectura nullis argumentis confirmata probataque nihili est. At ubi totam partem, quae est de anima humana, partiti explicaverimus, Arnobium neminem nisi Cornelium Labeonem impugnare cognoscemus.

[1]) Locis infra allatis editio Reifferscheidii adhibita est.

[2]) Röhricht, Die Seelenlehre des Arnobius nach ihren Quellen und ihrer Entstehung untersucht. Hamburg 1893.

De Cornelio Labeone Arnobiani II. libri auctore.

Cap. I.

Exordiamur a capite tertio decimo alterius libri! Ubi Arnobius adversarios suos diligentissime, cum ceteros omnes excludat, significat: „vos, vos appello, qui Mercurium, qui Platonem Pythagoramque sectamini, vosque ceteros, qui estis unius mentis et per easdem vias placitorum inceditis unitate.“ Qua ratione adversariis appellatis dilucide quaerit: nonne „Plato vester“ idem atque nos credit docetque? Nonne omnibus vitiis cupiditatibusque pravis abstinetis? cf. II 13: „quid illi sibi volunt secretarum artium ritus, quibus adfamini nescio quas potestates, ut sint vobis placidae neque ad sedes remeantibus patrias obstacula impeditionis opponant?“ Qui totus contextus verborum mirum in modum cum illo pronuntiato, quod est in capite 62 eiusdem libri, ita congruit, ut et hoc loco et illo eandem opinionem deprehendamus. cf. II 62: „neque quod magi spondent, commendaticias habere se preces quibus emollitae nescio quae potestates vias faciles praebeant ad caelum contendentibus subvolare . . .“ Tum Arnobius religionem suam, qua Orcum esse statuat, ab irrisione gentium defendere pergit. Quam opinionem ab illis rideri non posse, quoniam Plato ipse idem crediderit. Quo loco (II 14) iterum illud „vester“ occurrit, ut hic Arnobio rem esse cum homine, qui partes Platonis sequatur,

conicere liceat. Sententia, quam Plato de animis humanis protulerat, ipsis Platonis verbis refutata (II 14) liquido ad alteram opinionem transit haec dicens: II 15: „spes cassas id quod a novis quibusdam dicitur viris et inmoderata sui opinione sublatis, animas immortales esse, domino rerum ac principi gradu proximas dignitatis, genitore illo ac patre prolatas, divinas sapientes doctas neque ulla corporis attrectatione contiguas.“ Quibus ex verbis, qualis doctrina adversarii fuerit, cogitatione effingere possumus. Mirum est, quod Arnobius eosdem homines iterum disertis verbis impugnat, ut dubitari non possit, quin ei maiori curae sint, quam ipse fateri vult. Qui locus est in cap. 25: „Haecine est anima docta illa quam dicitis, immortalis perfecta divina, post deum principem rerum et post mentes geminas locum optinens quartum et affluens ex crateribus vivis?“ Videmus igitur omnes proprietates, quae in cap. 15 inveniebantur, hoc quoque loco enumerari: anima docta divina perfecta nominatur. At illud memoria dignum est, quod gradus affinitatis, qua cum deo summo, id quod memoria tenendum est, anima coniuncta est, apparet ex contextu verborum: „quartum optinens locum.“ Tum Arnobius, quoniam hac opinione refutata se omnibus ad oculos demonstravisse putat arrogantiae esse haec de hominum animis credere, iterum adlocutus adversarium hortatur, ut hanc superbam arrogantemque opinionem abiciat II 16: „vultis homines insitum typhum superciliumque deponere, qui deum vobis adsciscitis patrem et cum eo contenditis immortalitatem habere vos unam? vultis quaerere pervestigare rimari, quid sitis vos ipsi, cuius sitis, censeamini quo patre, quid in mundo faciatis, quanam ratione nascamini, quo pacto prosiliatis ad vitam?“ Quae eadem doctrina est, quam in cap. 15, quod comparavimus cum cap. 25, deprehendimus. Quo cum adversario huic rhetori in sequentibus quoque capitibus res est, cuius placita refellere studet. cf. cap. 17: „sed rationales nos sumus et intelligentia vincimus genus omne mutorum“. Tum in capite 18 praecepta, quibus omnibus animis sapientiam esse contendatur, respuit: „quodsi haberent scientias animae, quas genus scilicet habere divinum atque immortale condignum est, . . .“ Quae res ita non est, quia homo cuncta diuturno

demum usu cognita habet. Quo fit ut homines, si modo se ipsi noscerent II 19: „numquam sibi adsciscerent divinam immortalemque naturam nec existimarent quiddam magnificum se esse, quia . . .“ Etiamsi tales et tantas artes, quantae grammatica, musica, ars oratoria sunt, excogitaverunt homines, iis concedendum non est, ut credant II 19: „typho et adrogantia sublevati, prima esse se numina et aequalia principis summitati, . . .“ Quibus in verbis Arnobii extemplo caput 15 in mentem recurrit, ubi de adversario haec scripsit: „a novis quibusdam viris . . .“ etc. cf. l. s. a. Eadem doctrina est, quam in cap. 16 invenimus: „vultis homines insitum typhum“ etc. cf. l. a. Quibus omnibus rebus per tota illa capita Arnobium eundem hominem increpare satis elucet. Tum homines omnes illas artes et artificia non ex recordatione, quam animae ex caelo habeant, scire exponit. Quam recordationem non satis explicatam animas habere iam Plato docuit, id quod Arnobius ipse testatur, cum dilucide Platonis nomen afferat in cap. 24: „quid in Menone o Plato“ etc. Totam igitur illam partem, in qua de recordatione animarum humanarum disputatur, digressum nominare possumus, qui eo magis excusandus est, quod omnis doctrina recordationis artissime cum adversarii placitis, qui supra increpabatur, coniuncta videtur esse. Nam quoniam fabula pueri, qui in spelunca quadam remota procul ab omni cultu hominum adolevit, satis superque tractata animam humanam, nisi erudiatur atque instituatur, stolidam brutamque esse, stultiorem esse quam cautem Marpesiam ostendit, triumphans non Platonem, auctorem huius doctrinae, sed adversarium, quem supra cognovimus, interrogat II 25: „haecine est anima docta illa quam dicitis, immortalis perfecta divina, . . . post geminas mentes locum optinens quartum et affluens ex crateribus vivis?“ In sequentibus capitibus eidem homini reluctatus in cap. 26 haec verba facit: „sed ego cum audio nescio quid praestans animam dici, deo vicinum et proximum, scientem . . .“ et paulo infra: „ubi est illud quod dicitur, incorporalis animas substantiam non habere?“ Quin etiam plura de opinione adversarii ignoti cognoscimus, cum ex cap. 27 eum animam unam immortalem simplicem esse docuisse appareat. cf. II 27: „atquin nos arbitramur, quod est unum,

quod immortale, quod simplex, ..." Quas propter facultates animam mutari non posse Arnobius concludit, neque cum res ita non sit, fieri potest, quin morti subiecta sit. Ergo: „usu et illis est vita non mancipio tradita". Quibus verbis non contentus in adversarium vehementissime invectus dicit II 28: „quamvis aliter quidam inferant et rei tantae fidem suis in argumentationibus ponant". Etiamsi, — pergit Arnobius disputare —, animas, ubi corpora hominum induerunt, memoriam prioris perfectae scientiae amittere ponimus, intellegere nullo modo possum, qui fiat, ut bene sciant II 28: „animas se esse et corporalem substantiam non habere, inmortalitatis condicione mactatas, quem teneant in rebus gradum, quo sint ordine a deo patre discretae, ..." etc. tum paulo infra in eodem capite: „quemadmodum, inquam, sciunt doctissimas se fuisse et obstructione corporum amisisse quae noverant"? Qui totus contextus verborum nos de cap. 25 admonet, ubi erat: „haecine ..." etc. cf. l. a. Quae omnia cum inter se non quadrent, Arnobius adversarium, quippe qui tam futiles res credat, hortatus in cap. 29 dicit: „desinite, quaeso, desinite res parvas atque exigui mominis immanibus pretiis aestimare, desinite hominem, proletarius cum sit, classicis, et capite cum censeatur, adscribere ordinibus primis, cum sit inops, paupere lare et tugurii pauperis nec patriciae claritatis unquam meritus nuncupari". Quibus in adhortationibus quis non meminerit capitis 16, ubi adversario suasit: „vultis homines insitum . . ." cf. l. a. Tum eadem doctrina de anima iterum profertur, quae iam supra apud adversarium, quem Arnobius nominatim non affert, inveniebatur. Qua in tota re cum adversarii perperam cogitent, imprimis homines doctissimos et omni eruditione imbutos hanc vanam opinionem abicere decet. Namque ubi stupidus atque rudis populus vos illam doctrinam variis argumentis confirmare et probare intellexit, has nugas veras esse perfacile censet, simul cum vos proferatis et contendatis II 29: „immortalis animas esse nec fatorum esse obnoxias legibus". Quae verba rhetoris christiani ob duas causas maximi aestimanda sunt, primum quia hunc adversarium vehementer impugnatum neque appellatum sapientissimum doctissimumque hominem, cuius iudicium

populus artium rudis plurimi aestimat, esse cognoscimus. Quae res memoria tenenda est, cum ad hoc argumentum infra redituri simus. Tum hoc loco eadem doctrina invenitur atque in cap. II 62: „quod ab sciolis nonnullis et plurimum sibi adrogantibus dicitur, deo esse se gnatos nec fati obnoxios legibus..." etc. Unde Arnobium in cap. 29. in eundem hominem pugnare atque in cap. 62 intellegitur. Idem ex verbis, quae in fine huius capitis scripta sunt, elucet, ubi liquido arrogantia hominum increpatur, qui animam hominis deo parem et pari modo atque deum immortalem esse credant II 29: „... cui fuerit persuasum tam se esse immortalem quam ipsum deum primum nec ab eo iudicari quicquam de se posse, cum sit una immortalitas in utroque nec vi alterius altera condicionis possit aequalitate vexari?" Quid ex ea opinione nascatur, Arnobius in cap. 30 exponit, ubi contrariam quoque sententiam, qua animas simul sum corporibus interire perhibetur, refutat. Qua in re auctorem huius doctrinae nominatim commemorat cf. II 30: „Epicuri ut sententia definitur". Tum de opinionibus multis, quae vulgo ferantur, locutus ipsam suam de media qualitate animarum hominum sententiam profert. Quia animam mortalem esse christiani putant, saluti suae timent, ob eam causam deum invocant precibus, ut se ab interitu servet. At illi omnem spem in sua fide ponunt. cf. II 33: „vos vestrarum animarum salutem in ipsis vobis reponitis fierique vos deos vestro fiditis intestinoque conatu". Haec quoque verba plurimi facienda sunt, cum si diligenter inspicimus, simillima esse eluceat eorum quae sunt in cap. 62: „certorum animalium sanguine numinibus certis dato divinas animas fieri et ab legibus mortalitatis educi". Tum hic locus neglegendus non est, quia Arnobius, qui antea in diversas sententias philosophorum pugnavit, omnes illos homines doctos refellere videtur, re vera autem illum adversarium, qui quamquam nomine non allato iam supra occurrebat, dilucide appellat. Eidem adversario in sequentibus quoque verbis reluctatus insulsitatem fidei crimini vertit II 33: „vos cum primum soluti membrorum abieritis e nodis, alas vobis adfuturas putatis quibus ad caelum pergere atque ad sidera volare possitis". Tum dilucide eadem doctrina, quam in capitibus duobus iam supra commemoratis

ab adversario ignoto prolatam esse accepimus, invenitur in II 33: „vos in aulam dominicam tamquam in propriam sedem remeaturos vos sponte nullo prohibente praesumitis". Ad haec confer, velim, illud quod est in cap. 14 et haec capitis 62: „si vitam restrictius egerint, aulam sibi eius patere, ac post hominis functionem prohibente se nullo tamquam in sedem referri patritam". Non minus de eadem doctrina in cap. 34 cogitat: „qui spem vobis immortalitatis adsciscitis". Si Plato animas nostras immortales fore pollicitus esset, vel „alius ex hoc choro" hanc doctrinam libenter crederemus. Quae cum ita non sint, paremus verbis Christi, praeceptoris nostri, qui dixit animam mediae naturae esse id est morti subiectam et sola clementia dei servari posse immortalitate donatam. Etiam deos angelos daemones mediae qualitatis esse Arnobius admonet, cum ab omnipotenti deo creati sint. Cuius rei Plato ipse in libro, qui inscribitur Timaeus, testis est. Quae argumenta propterea magni momenti sunt, quod ii viri, quos verbis „o isti" adloquitur, doctrina Platonis refutantur. Quamquam in sequentibus capitibus ad fidem christianam transit, tamen nunquam oculos de adversario deicit. cf. II 36: „non esse animas regis maximi filias nec ab eo quemadmodum dicitur generatas coepisse se nosse atque in sui nominis esse substantia praedicari, sed alterum quempiam genitorem his esse, dignitatis et potentiae gradibus satis plurimis ab imperatore diiunctum, . . ." Eandem doctrinam, quae iam saepe occurrebat, in initio capitis 37 scriptam videmus, qua animam a principe rerum creatam artissime cum deo coniunctam esse perhibetur: „quodsi essent ut fama est dominicae prolis et potestatis animae generatio principalis . . . etc." Licet animae divinae sint, cur iis in corpora, cum sine corporibus multo beatius vivant, migrandum est? Tum Arnobius ex adversariis, quos omni acerbitate salis sui aspergit, quaerit, qua de causa animae diis genitae in mundum missae sint. cf. II 39 „nisi forte . . ." etc., quibus verbis longam argumentationem incipit, quae est usque ad cap. 44. In sequentibus capitibus inexplicabilem et ingentem errorem dei optimi omnipotentisque esse ostendit, qui animas, quamquam beate vivant, in hominum corpora descendere cogat. Namque corpore inclusae originis

divinae oblitae etiam de immortalitate sua dubitare solent. Quin etiam permultae ad tanta vitia sceleraque prolabuntur, quae immortali earum natura plane indigna sunt. cf. cap. 39—42. Quibus argumentis disertis verbis prolatis rhetor adversarios adlocutus interrogat II 43: „quid dicitis, o suboles ac primi progenies numinis? ergone sapientes illae atque ex causis principalibus proditae animae . . ." Quem adversarium non Platonem esse, id quod crediderit quispiam, ex cap. 52 dilucide intellegitur, ubi praecepta ipsius Platonis usurpantur, ut placita adversarii, cuius nomen Arnobius semper tacet, refellantur. Ex cap. 45 novam partem doctrinae adversarii ignoti cognoscimus, quo loco stultissimi stupidissimique hominis esse contendit rhetor christianus censere summum deum, principem omnium rerum, — maximi momenti est haec verba memoria tenere, cum non doctrinam Platonis quem a minore deo animas humanas creari dixisse Arnobius ipse fatetur, cf. II 52: „quid enim putamus habuisse rationis Platonem illum magnum pie sancteque sapientem, cum hominis fictionem deo removit a maximo et ad minores nescio quos transtulit . . ." his verbis vituperari demonstraturi simus. — animas humanas cogere in hanc paludem vitiorum scelerumque, quae terra vocetur, descendere. Ad haec cf. II 45: „sed procul haec abeat sceleratae opinionis immanitas, ut deus credatur omnipotens, magnarum et invisibilium rerum sator et conditor, procreator, tam mobiles animas genuisse, . . ." Quibus in sordibus vitae humanae describendis quam diutissime moratur, quam ob rem miseriam egestatemque animarum iterum demonstrat, ita ut credere animas divinas esse arrogantiae sit. cf. II 46: „sed procul haec abeat, ut eadem rursus frequentiusque dicamus, tam immanis et scelerata persuasio, ut ille salus rerum deus, omnium virtutum caput, benignitatis et columen, atque ut eum laudibus extollamus humanis, sapientissimus, iustus, perfecta omnia faciens et integritatis suae conservantia mensiones[1]) aut aliquid fecerit claudum et quod minus esset a recto, aut ulli rei fuerit miseriarum aut discriminum causa, aut ipsos actus quibus vita transigitur et celebratur humana

[1]) Quod nos de Graeco fonte admonet, in quo fortasse erat: *τὰ τῆς ἰδίας ὁλότητος μέτρα σῴζοντα.*

ordinaverit, iusserit et ab sua fluere constitutione praeceperit." At ne haec iteratio, quam ipse intellegit, supervacua esse videatur, satis inani sententia se excusat: „ut eadem rursus frequentiusque dicamus." Denique omnia quae protulit argumenta paucis verbis complexus deum principem rerum non decere animas humanas creare contendit. cf. II 46: „Minora haec illo sunt et magnitudinis eius destruentia potestatem tantumque est longe, ut istarum auctor rerum esse credatur." Quam sententiam adversarium impugnare Arnobius fingit quaerentem: quisnam nisi deus animas hominum creaverit. Cui percontationi adversarii rhetor non respondet, potius se ipsum quis animas hominum formaverit scire negat. Qua in re alteras partes secutos impugnare non desinit cf. II 48: „cum animas renuamus dei esse principis prolem." Cur ipse commotus sit, ut animas humanas a summo principe rerum factas esse neget, in sequentibus dicit; neque enim fieri posse, quin deus summus atque optimus perfectum quiddam efficiat; ita fieri, ut animae hominum, quibus miserius in mundo nihil sit, non illo auctore exstiterint. cf. II 48: „quod utique non essent, si generositas eos adsereret principalis, et ab rerum capite descendentium ducerent honestamenta natalium." Quam contra argumentationem tamen homines probos et iustos, qui animas suas secundum originem earum ab omni vitiorum scabie tueantur, inveniri dixerit quispiam. Quam sententiam capitibus 49 et 50 eo refellit, quod praecipue boni ipsi assidua pugna vitiorum et illecebrarum animas mediae qualitatis esse illustrant. Quicumque animas hominum dei simillimas esse censent, fidem christianorum irrident atque illudunt cf. II 51: „quod cum regias suboles esse animas abnegemus, . . ." At quanti eorum placita aestimanda sunt? Nihil nisi futiles et cassae sententiae sunt, quas quamquam permultis argumentis conclusionibusque probatas pro comperto habere non possumus. cf. II 51 finem. Christiani mediae qualitatis animas non a principe rerum creatas esse censent. cf. II 52: „nonne fieri potis est, ut exorti homines ita sint nec ad deum primum nativitatis eorum referatur auctoritas?" Quae doctrina adversarii, cui Arnobium per omnia superiora capita reluctari vidimus, placitis Platonis refellitur, cum ipse dignitate

principis summi rerum creationem animae humanae indignam putaverit. cf. II 52: „quid enim putamus habuisse rationis Platonem . . ." cf. l. s. a. Qua in re quomodo Arnobius Platonem adloquatur memoratu dignum est, quod ad hanc adlocutionem in altero capite redibimus. Quandoquidem vel Plato aliter de hac re sentit, — pergit Arnobius disputare — non absurdum est contendere animas hominum II 53: „utpote ab rebus non principalibus editas" sed mediae qualitatis esse. Quae cum ita sint, deus eas, si eum agnoscunt et adorant, ab interitu aeterno servabit. Tum Arnobius eam sententiam, qua mala quoque ex deo oriri dicuntur, impugnat. Quod fieri non posse, quod deus nihil efficiat nisi perfectum. cf. II 55: „nihil a deo principe quod sit nocens atque exitiabile proficisci." Unde mala proserpant, nescimus, quamquam inveniuntur, qui se haec scire fateantur. cf. II 56. At hae nugae sunt, cum argumentis omnia confirmari possint, id quod optime ex scientia rerum naturae intellegitur. Tum Arnobius longe digressus ab his rebus omnes sententias, quas veteres philosophi de anima, de mundo, de rebus naturae, de dis protulerunt, explicat. Quas omnes quaestiones inanes et infructuosas esse vel inde cognoscitur, quod omnes illi philosophi ne simplicissimas quidem res naturales exponere possunt. Qui locus communis amplectitur capita 58 et 59 II. libri. At christianos Christus ipse homines illas res scire non posse docuit. Quam ob rem rhetor, ut homines saluti animarum suarum consulerent, adhortatus perorans adversarium, qui eum per totam partem huius libri occupavit, increpat II 62: „neque illud obrepat aut spe vobis aeria blandiatur, quod ab sciolis nonnullis et plurimum sibi adrogantibus dicitur, deo esse se gnatos nec fati obnoxios legibus, si vitam restrictius egerint, aulam sibi eius patere, ac post hominis functionem prohibente se nullo tamquam in sedem referri patritam; neque quod magi spondent, commendaticias habere se preces quibus emollitae nescio quae potestates vias faciles praebeant ad caelum contendentibus subvolare; neque quod Etruria libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium sanguine numinibus certis dato divinas animas fieri et ab legibus mortalitatis educi."

Cap. II.

Si id quod invenimus paucis verbis comprehendere volumus, Arnobium in hac parte operis non universos paganos impugnare, sed fidem christianam a certa quadam doctrina philosophorum aut ut melius dicam theologorum defendere dicendum est, id quod ea re comprobatur, quia iterum atque iterum opinio, qua hominum animas filias summi dei esse perhibetur, refellitur. Quam coniecturam nostram imprimis iterationes confirmant id est ii loci, quibus Arnobium eundem adversarium impugnare perspicuum fit. Velut conferas: II 13—II 16, tum II 15—II 25, tum II 19 — II 15 — II 16, tum II 29 — II 16 — II 62 — II 33 — II 62 — II 14. Quibus locis etiam eadem verba occurrunt legentibus. Quae cum ita sint, operae pretium est, omnem doctrinam adversarii, cui Arnobius vehementissime reluctatur, ex locis supra explicatis componere.

II 15: „spes cassas id quod a novis quibusdam dicitur viris et immoderata sui opinione sublatis, animas immortales esse, domino rerum ac principi gradu proximas dignitatis, genitore illo ac patre prolatas divinas sapientes doctas neque ulla corporis attrectatione contiguas.“ Cognoscimus igitur proprietates animarum humanarum. Immortales sunt, creatae a summo deo, divinae, sapientes, doctae artissimeque summo deo, principi rerum, coniunctae. Gradum quoque huius propinquitatis, quem animae tenent, ex capite 25 intellegimus, ubi est: „Haecine est anima docta illa, quam dicitis immortalis perfecta divina post deum principem rerum et post mentes geminas[1]) locum optinens quartum“. Hoc loco omnes eos locos omitti dico, quibus idem atque in antecedentibus dicitur, quoniam in capite primo commemorati sunt. Illi igitur soli proferentur, ex quibus novam partem adversarii doctrinae cognoscimus. Qua in re cap. 27 neglegendum non est, ubi animas omnium scientiarum facultatumque, quibus in caelo praeditae fuerint, ubi primum in corpora humana descenderint, oblivisci narratur cf. II 27: „ergo

[1]) Quam scripturam codicum Kroll: Bresl. Phil. Abhdlg. VII 1 p. 28 solam rectam esse optimo iure docuit.

si et animae produnt omne, quod noverant, corporalibus vinculis occupatae patiantur ...“ Tum animae iussu summi dei, principis rerum, qui eas creavit, in terram descendunt. cf. II 45: „sed procul haec abeat ...“ cf. l. s. a. Tantum de origine animae humanae et de domicilio, quod in corporibus hominum tenet, cognosci potest. At ubi corpus, quo anima in hac terra includitur, mortuum est, anima in veterem sedem caelestem reversa ipsa deus fieri potest cf. II 33: „vos vestrarum animarum salutem in ipsis vobis reponitis fierique vos deos vestro fiditis intestinoque conatu“. Tum in eodem capite haec: „vos in aulam dominicam tamquam in propriam sedem remeaturos vos sponte nullo prohibente praesumitis“. Tum cf. II 62: „... si vitam restrictius egerint, aulam sibi eius patere, ac post hominis functionem prohibente se nullo tamquam in sedem referri patritam ... neque quod Etruria libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium sanguine numinibus certis dato divinas animas fieri et ab legibus mortalitatis educi“. Tum confer II 7: „ipse denique animus, qui immortalis a vobis et deus esse narratur“. Sed animae corpore mortuo, quominus ad patrem suum, deum summum, advolent, prohiberi possunt quibusdam potestatibus, quas ignoramus, cum eas Arnobius dilucide non significet. cf. II 14: „quid illi sibi volunt secretarum artium ritus, quibus adfamini nescio quas potestates, ut sint vobis placidae neque ad sedes remeantibus patrias obstacula impeditionis opponant?“ et II 62: „neque quod magi spondent, commendaticias habere se preces quibus emollitae nescio quae potestates vias faciles praebeant ad caelum contendentibus subvolare“. Plus de adversarii doctrina enucleari non potest. At iam, quis antiquitate auctor huius doctrinae fuerit, intellegere conabimur. Qua in re Röhricht l. c. p. 30 caput 62, quo paucis verbis omnem doctrinam adversarii contineri videmus, ad Neoplatonicos imprimis ad Plotinum referendum esse dicit. Arnobii adversarium ignotum iterum atque iterum contendere supra vidimus animas filias dei, principis omnium rerum, esse. Licet singula capita afferre: II 15, II 16, II 19, II 29, II 37, II 43, II 45 sq., II 48, II 51 sq., II 62. Quae cum adversarius contendat, Plotinus animas humanas non a

summo deo, principe rerum, creari dilucide dicit. Plotinus haec docet: deus primus mentem, mens animam mundanam, anima mundana demum hominum animas gignit. cf. Zeller III^2 p. 533 sqq. Tum Plotinus animas humanas vitiis miseriisque affici negat. Vident mala corporum neque patiuntur. cf. Zeller III^2 p. 581 sq. Si igitur Arnobius Plotinum increparet, cur tota pars oratoria, qua continentur capita 37—43: „idcirco animas misit" inserta esset, dubium esset, cum supervacua esset. Huc accedit, quod secundum Plotini doctrinam summus deus animas in corpora migrare non cogit, sed sua sponte in materiam id est in corpora descendunt. cf. Zeller III^2 p. 574. Quam ob rem Röhrichtii sententia tenenda non iam est.

Tum Platonem ab Arnobio refelli putaverit quispiam ea re commotus, quod in hac parte operis Platonem commemorat aut nomine ipso prolato aut libris eius allatis, cf. in cap. II 13 bis, II 14, II 24, II 34, II 36 bis, II 52, II 64. At ubi hos locos diligentius legerimus, Arnobium inveniemus Platonem saepenumero adferre, ut sententiam suam confirmet atque probet vel ut adversarium ipsum refellat. Cuius rei nonnulla exempla proferam. Cap. 24, postquam puerum quendam in solitudine adolevisse omni usu consuetudineque hominum carentem finxit, animas hominum nihil recordatione scire, sed omnia iis diuturno usu ediscenda esse concludit. At tantum abest, ut Platonem adlocutus conclusione facta irrideat, ut in eos invehatur, qui animas humanas a summo deo procreatas esse censeant. cf. II 25. Qua ex re haud magnam differentiam esse inter placita Platonis et adversarii ignoti concluditur. Arnobium autem, ut adversarii praecepta refutet, Platonem adferre ex cap. 52 intellegitur, ubi etiam Platonem aliter atque adversarium de origine animarum humanarum iudicavisse dicit. Capite 14 animas corporibus mortuis puniri in Orco verbis Platonis comprobatur. Eadem ratione animas mediae qualitatis esse doctrina Platonis, qui deos ipsos non aeternos sola voluntate dei summi, principis rerum, sustineri docet, prolata confirmatur. cf. II 36. Unde Arnobium non Platoni reluctari per hanc partem libri sed homini se partes Platonis sequi professo intellegitur. Quae sententia ea re probatur, quod adversarium Platonis discipulum appellare

videtur. cf. II 13: „vos, vos appello, qui Mercurium, qui Platonem Pythagoramque sectamini." Qua re ad Neoplatonicos mittimur, quos placitis Pythagorae usos esse satis constat. cf. Zeller l. c. III^2, p. 419 sqq. Quo loco ille contextus verborum adferendus est capitum II 13 et II 14 „Plato vester", quibus ex verbis illos Platonem plurimi aestimare vel etiam partes eius sequi concludendum est. Tum hunc rhetorem Platonem non impugnare vel inde intellegitur, quia adversarios novos quosdam homines appellat, id quod ad Platonem omnino non quadrat. cf. II 15: „id quod a novis quibusdam dicitur viris." Quaecumque illi homines agunt dicuntque, arrogantia et superba appellat, cum Platoni mirum in modum honesta cognomina det. cf. II 14: „homo prudentiae non parvae et examinis iudiciique perpensi", et II 36: „Plato ille divinus multa de deo digna nec communia sentiens„; et II 52: „Plato ille magnus pie sancteque sapiens". Adrogantes homines adversarios increpat in cap. II 15 cf. l. s. a., tum in cap. II 19 denique in cap. II 62. Quae cum ita sint, tamen adversarios non contemnendos, immo summa doctrina sapientiaque imbutos esse, quorum iudicium non parvi aestimetur, ex cap. 29 elucet: „cum enim vos oporteret viros recti atque integritatis auctores . . . ". Tum paulo infra: „qui cum dici exaudiat viris ab sapientibus maxime . . . ". Quibus ex rebus adversarium Neoplatonicos secutum Platonem permagni aestimare et sapientissimum esse omnibus rebus videmus. Sed quoniam Arnobius reliquis libris opera hominis compilat, cuius nomen adferre veretur, hac quoque parte eum eundem hominem impugnare crediderim. Censeo igitur Cornelio illi Labeoni Arnobium hic reluctari. At priusquam hanc sententiam argumentis probare et confirmare incipiam, ille Labeo quid docuerit describere in animo habeo, quo facilius argumentationes nostrae intellegantur. Qua in re eo brevius dicere licet, quod de Labeone complures libri scripti sunt. Ac Kettneri libellum l. s. a. omittere licet, cum Kahl l. s. a. suppleverit et auxerit libro supra allato. I. Muelleneisenii[1]) commentatio nos haud multum iuvat. Tertia disputatio in Röhrichtii libro supra

---

[1]) cf. Kahl: Wochenschrift f. klass. Phil. 1890 Nr. 24.

commemorato invenitur, qui in ea parte, quae Labeo inscribitur, non plus novi quam Kahl profert. Denique vide Pauly-Wissowa IV, p. 1351 sqq.

De Cornelii Labeonis studiis.

Cornelius Labeo illis temporibus rerum antiquarum peritissimus et thelogus celeberrimus erat, ita ut Kahl l. c. in p. 806 eum iure Varronem tertii p. C. n. saeculi appellet, quem in omnibus fere rebus partes Neoplatonicorum secutum esse scimus. cf. Kahl l. c. p. 801: „Und so wie Varros philosophie mit der lehre der Stoa sich deckte, so ward Labeos theologie vom Neuplatonismus beherrscht". In placitis Labeonis imprimis eius de dis sententia maximi momenti est, quod diversos deos Romanae et Graecae religionis eodem vinculo ita copulare studet, ut pauci restent, quos in deos selectos et in numina bona et mala dividit. cf. Kahl, l. c. p. 802 sq. Quae numina certis sacrificiis placari debent, quae in Augustini libro, qui inscribitur civitas dei, enumerantur. cf. Aug. civ. dei II 11: „cum praesertim Labeo, quem huiusce modi rerum peritissimum praedicant, numina bona a numinibus malis ista etiam cultus diversitate distinguat, ut malos deos propitiari caedibus et tristibus suplicationibus asserat, bonos autem obsequiis laetis atque iucundis, qualia sunt, ut ipse ait, ludi convivia lectisternia." Hoc loco dicendum est Augustinum vehementissime Labeonem impugnare, quia iudicium huius viri sapientis plurimi aestimabatur. cf.: „quem huiusce modi rerum peritissimum praedicant." Quo fit, ut Arnobius quoque hunc hominem summa doctrina imbutum omnibusque litteris eruditum non contemnat. cf. Arnob. III 34: „non indocti apud vos viri neque quod induxerit libido garrientes . . ." etc. Quem locum Arnobianum in Labeonem compositum esse satis constat, cf. Kahl, l. c. p. 723. Tituli librorum Cornelii Labeonis, quos novimus, sunt hi: primus de oraculo Appollinis Clarii cf. Macrob. sat. I 18,21; alter de dis animalibus cf. Serv. ad Aen. III 168. Quibus ex titulis librorum Labeo magis in studiis theologicis quam antiquitatis versatus esse videtur, qua ex re intellegitur, cur Augustinus eum acerrime impugnet et Arnobius imprimis adversus eum libros septem composuisse videatur. Cornelium Labeonem theologum fuisse neque grammaticum id quod Schultze[1]) in p. 39 contendit, Muelleneisen suo iure dicit l. c. p. 46: „ . . . quoniam (Cornelius Labeo scil.) non tam philosophus, quam theologus erat." Tum Labeonem in omnibus studiis summa cum diligentia versatum ad placita sua comprobanda omnes fere libros usurpavisse scimus. cf. Kahl, l. c. p. 801 sq. p. 805.

Iam redeamus ad Arnobii librum II! Qua in re nitimur commentatione Krollii l. c., qua Arnobium oracula Chaldaica novisse ostendit. Tres loci in altero libro inveniuntur, in cap. 25 unus, in cap. 62 duo. Si a cap. 62 libri II exordimur, totum pronuntiatum in tres partes dividitur, quarum quaeque inchoatur vocabulo „neque", ita ut Arnobius in tres adversarios inter se plane diversos pugnare videatur. Quae res ita se non habet. Kroll p. 60 prima et tertia parte huius pronuntiati placita oraculorum Chaldaicorum contineri ostendit. Huc accedit, quod Labeonem eius scientiae, quae est in tertia parte: „neque quod Etruria libris", auctorem fuisse, Servius testatur. cf. Serv. ad Aen. III 168: „de quo dicit Labeo in libris, qui appellantur de diis animalibus, in quibus ait esse quaedam sacra, quibus animae humanae vertantur in deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant". Quoniam primum quoque pronuntiatum huius capitis: „neque illud obrepat aut spe vobis . . ." ad oracula Chaldaica referendum est, cf. Kroll l. c. p. 60, optimo iure hoc quoque Cornelii Labeonis esse concludi potest, praesertim cum nullo alio loco librorum Arnobium ipsum oracula Chaldaica inspexisse inveniamus. Restat nihil nisi altera pars totius pronuntiati: „neque quod magi spondent". Quae pars Labeonis doctrina videtur esse. Id quod Röhricht l. c. in p. 42 adnotatione 1 suspicatur: „dann müßte man annehmen, daß es sich II 62 in der dreifachen Disjunktion mit neque — neque — neque im Grunde nicht um einen Protest gegen 3 verschiedene, von einander unabhängige Gegner handelt, sondern daß in Wahrheit nur 1 Gegner vorhanden ist, dessen

[1]) Schultze: Quaestionum Lydianarum pars prior. Greifswald 1862.

Standpunkt sich in dreifacher Richtung charakterisieren ließ ...", quaestionibus Krollii probatur, ex quibus et prima parte et altera, quamquam particula „neque" disiunctae sunt, Arnobium eundem hominem impugnare apparet. Accedit, quod verbo magorum Chaldaei quoque significari solent. Toto igitur pronuntiato rhetor christianus nihil aliud facit nisi adversarios, ut plane refellat, tres inter se prorsus diversos homines fingit. Quibus argumentis nisis omnes illos locos, qui ad cap. 62 referuntur aut cum eo congruunt, Labeonis doctrinae esse censere licet.

Hi loci sunt
II 33: „vos vestrarum ..."
II 33: „vos in aulam ..."
II 29: „qui cum dici ..."
II 13: „quid illi sibi ..."
II 16: „vultis homines ..."
} = II 62.

Quos omnes locos doctrinae Labeonis esse ex cap. 62 elucet. Atqui Kroll p. 28 caput II 25 Arnobii: „haecine est anima docta illa . . ." etc. nos de oraculis Chaldaicis admonere illustravit. Sed cum priore loco, quo in Arnobii libro praecepta oraculorum Chaldaicorum deprehendebantur, ea ad Cornelium Labeonem referri intellexerimus, non errabimus rati caput II 25, quo placita illorum oraculorum continentur, ex eiusdem Labeonis doctrina haustum esse. Quae coniectura vel eo argumento confirmatur, quod totam partem (II 13 — II 62) in e u n d e m adversarium scriptam esse supra demonstrabatur. Itaque in cap. 25 II. libri idem adversarius Arnobio est, atque in cap. 62. Quibus ex rebus omnes illos locos ex Labeone sumptos esse concludere cogimur, qui cum cap. II 25 congruunt. Cuius capitis similes sunt hi loci:

II 15: „quare nihil est ..."
II 16: „vultis homines insitum ..."
II 19: „numquam sibi adsciscerent ..."
II 19: „numquam crederent ..."
} = II 25.

Caput II 16 cum cap. II 62 congruere iam supra dictum est, qua re opinionem nostram rectam esse confirmatur. Accedit altera res. Initio alterius capitis imprimis id, quod Cornelius

Labeo de daemonibus docuisset, neglegendum non esse dictum est. Quam doctrinam inter Neoplatonicos imprimis Labeo coluit. Namque in cap. II 35 hoc pronuntiatum nos de illa daemonologia Labeonis admonere videtur: „nonne omnes omnino, quos esse opinatio suspicatur, dii angeli daemones aut nomine quocumque sunt alio . . ." Quo in contextu verborum imprimis illud: „angeli daemones aut nomine quocumque sunt alio" respiciendum est, cum illis verbis de diligentia Cornelii Labeonis admoneri videamur. Namque illud ipsum: „aut nomine quocumque sunt alio" homines dissensisse ostendit, quo nomine illa numina significanda essent. Quam rem Augustinus inlustrat, quippe qui angelos christianorum cum daemonibus paganorum coniungere quosdam homines voluisse testetur. Imprimis Labeo huic rei operam dedit. cf. Aug. de civ. dei IX 19: „Sed ne de verbis etiam nos certare videamur, quoniam nonnulli istorum, ut ita dixerim daemonicolarum, in quibus Labeo est, eosdem perhibent ab aliis angelos dici, quos ipsi daemones nuncupant".

Dixerit quispiam Arnobium iis partibus operis, in quibus refutat Labeonem nihilo setius magni facere, — id quod in cap. priore dictum est, cf. Arnob. III 34: „non indocti ...", — cum in hac parte disputationis rhetor christianus de „sciolis nonnullis" vel de „adrogantibus hominibus" loquatur. At unum quidem caput invenitur, quod ex iis, quae supra dicta sunt, ad Labeonem referendum est, in quo adversarium virum sapientissimum, cuius indicium ab omni populo permagni aestimetur, appellat. cf. cap. II 29: „cum enim vos oporteret viros recti atque integritatis" tum paulo infra: „qui cum dici exaudiat v i r i s a b s a p i e n t i b u s m a x i m e ...". Quo loco vera imago huius Labeonis ab Arnobio depingitur, cum ceteris locis ei obtrectare conetur eum allocutus contextu verborum „sciolus quidam novus" vel „adrogans".

Quoniam omnem partem alterius libri (II 13 — II 62) referri ad Labeonem vidimus, restat, ut aliquam rem, quae mea quidem sententia a Röhrichtio non recte exposita est, interpretemur. Röhricht. l. c. p. 28 sq.: „denn an anderer Stelle befindet sich der Rhetor mit dem Philosophen (= Plato) und seinen Anschauungen nicht im Widerspruch, sondern benutzt ihn als Bundes-

genossen für seine Zwecke . . . dem entspricht es ganz, wenn Arnobius dem Philosophen jede nur mögliche Anerkennung zollt, ihn als „sublimis apex philosophorum et columen“ (I 8) oder als „homo prudentiae non parvae et examinis iudiciique perpensi“ (II 14) oder als „Plato ille divinus multa de deo digna nec communia sentiens“ (II 36), oder als „Plato ille magnus pie sancteque sapiens“ (II 52) bezeichnet.“ Equidem Arnobium Labeonem illis ipsis auctoribus usum, quibus nitatur, refutare censeo. Labeonem enim Platonis libros diligentissime legisse Kahl l. c. p. 802 illustravit: „⟨zog⟩ . . . auch griechische autoren wie Plato in den bereich seiner studien“. Iam vero ex Augustini libris Labeonem Platonem plurimi aestimavisse atque inter semideos numeravisse scimus. cf. Aug. civ. dei II 14: „hunc Platonem Labeo inter semideos commemorandum putavit, sicut Herculem, sicut Romulum. tum confer civ. dei VIII 13: „hunc autem Platonem, quod iam in secundo libro commemoravi, inter semideos Labeo ponit“. Quam ob rem illa vocabula ut divinus, pie sancteque sapiens similia a Labeone ipso usurpata esse crediderim, ita ut etiam ipsis verbis Labeonem Arnobius refutet. cf. II 36: „Plato ille divinus . . .“ [1]) etc. Haud aliter ceteros locos alterius libri interpretandos esse puto, ubi Platonem adloquitur. II 14 et II 52. At illud libri primi in cap. 8 „sublimis apex . . .“ Arnobii videtur esse. Namque praeter locum, qui est in primi libri cap. 8, in omnibus reliquis libris Platonem ab Arnobio tam egregiis cognominibus non affici quam in altero libro commemorandum est. Quam ob rem illis titulis usurpatis Arnobius in animo habuisse videtur dicere: Ille Plato, quem tu, Labeo, permagni aestimas, non tecum consentit, sed tua placita falsa esse probat.

Quibus ex rebus animo fingere possumus cur Arnobius in hac parte operis inprimis Lucretii libris usus sit. cf. Röhricht l. c. p. 2—30. Namque ille poeta quoniam partes Epicuri secutus vehementissime immortalitatem animarum humanarum, quam Neoplatonicos docuisse inter omnes satis constat, impugnavit.

---

[1]) *θεῖος Πλάτων* est locutio usitatissima apud Neoplatonicos. cf. Plotin Enn. III 5. 1. Procl. in Tim. III 9,22. 34, 3 alios.

Labeo autem secutus Neoplatonicos Epicuri sententiis facillime refelli potuit, id quod Arnobius conabatur cf. Röhricht l. c. p. 2 sqq.[1]) Tum ex iis, quae supra dicta sunt, Labeonem de animis humanis scripsisse colligi potest, quo in opere omnes illae res, quae in priore capite enumerabantur, continebantur. At quo in libro aut qualis tota doctrina fuerit, scire non possumus. Haud scio an in eo, cui titulus erat de diis animalibus. Restat, ut illustremus, quos auctores Labeo in hac disciplina componenda usurpaverit. Qua in re optima disputatio Kahlii nos iuvat, qui industriam Cornelii Labeonis libro saepius allato diligentissime demonstrat. Cum eius quaestionem me aucturum esse sperem, Labeonis de anima humana doctrina nos ad Porphyrium vel eius discipulos remitti demonstrare conabor.

Arnobii Porphyriique praecepta inter se comparantur.

Cap. III.

Praecepta, quae Cornelius Labeo de daemonibus proferat, simillima esse Porphyrii, philosophi Neoplatonici Kahl l. c. p. 781 sq. censet. Ac quemadmodum auctores inter se consentiant, iam illustrabitur. Differentia numinum ex cap. 36 II. libri Porphyriani, qui inscribitur de abstinentia, intellegitur: *οἶδεν δὲ ὁ τῆς εὐσεβείας φροντίζων ὡς θεοῖς μὲν οὐ θύεται ἔμψυχον οὐδέν, δαίμοσι δὲ ἄλλοις ἤτοι ἀγαθοῖς ἢ καὶ φαύλοις, καὶ τίνων ἐστὶ τὸ θύειν τούτοις καὶ ἄχρι τίνος αὐτοῦ δεομένων.* Videmus igitur numina dividi in tres partes, deos, daemones bonos, daemones malos. Origines numinum cap. 37 eiusdem libri explicantur. Numina mala sacrificiis cruentis vel lamentationibus precibusque placantur. cf. verba eius II 37: „. . . *τὸ δὲ ἄλλο πλῆθος οὕτω μὲν κοινῶς προσαγορεύεται τῷ τῶν δαιμόνων ὀνόματι, πεῖσμα δὲ περὶ πάντων τοιοῦτόν ἐστιν, ὡς ἄρα καὶ βλάπτοιεν ⟨ἂν⟩ εἰ χολωθεῖεν*

---

[1]) Qua in re Röhricht non recte coniecisse videtur ratus contextum verborum, qui est in libro III cap. 10: „quid ergo iam super est . . .“ sumptum esse ex IV libro Lucretii vs 1256 sq. et 1193—94, cum de diversis uterque scriptor rebus dicat. Potius casu factum esse videtur, ut tres voces in utroque libro consentiant.

ἐπὶ τῷ παρορᾶσθαι καὶ μὴ τυγχάνειν τῆς νενομισμένης θεραπείας, καὶ πάλιν εὐεργετοῖεν ἂν τοὺς εὐχαῖς τε αὐτοὺς καὶ λιτανείαις θυσίαις τε καὶ τοῖς ἀκολούθοις ἐξευμενιζομένους.“ Cum his confer II 42, ubi Porphyrius malos daemones adipe et carne hostiarum vesci testatur: „*οὗτοι οἱ χαίροντες, ‘λοιβῇ τε κνίσῃ τε,’ δι᾽ ὧν αὐτῶν τὸ πνευματικὸν καὶ σωματικὸν πιαίνεται*“. Tum haec confirmantur capite 58 alterius libri: „*ὅτι δὲ οὐ θεοῖς, ἀλλὰ δαίμοσι τὰς θυσίας τὰς διὰ τῶν αἱμάτων προσῆγον οἱ τὰς ἐν τῷ παντὶ δυνάμεις καταμαθόντες, καὶ τοῦτο πεπίστωται παρ᾽ αὐτῶν τῶν θεολόγων. καὶ μὴν ὅτι τούτων οἳ μὲν κακοποιοί, οἳ δὲ ἀγαθοί, οἳ οὐκ ἐνοχλήσουσιν ἡμῖν ἀπαρχομένοις ἐκ μόνων ὧν ἐσθίομεν καὶ τρέφομεν ἢ τὸ σῶμα ἢ τὴν ψυχήν, καὶ τούτου μέμνηνται*“. Numina mala homines beneficiis non afficere, sed maleficiis ut fame, morbis, pestilentia, calamitatibus fructuum ex capite 40 II. libri intellegitur: „*ἓν γὰρ δὴ καὶ τοῦτο τῆς μεγίστης βλάβης τῆς ἀπὸ τῶν κακοεργῶν δαιμόνων θετέον, ὅτι αὐτοὶ αἴτιοι γιγνόμενοι τῶν περὶ τὴν γῆν παθημάτων, οἷον λοιμῶν, ἀφοριῶν, σεισμῶν, αὐχμῶν καὶ τῶν ὁμοίων, ἀναπείθουσιν ἡμᾶς, ὡς ἄρα τούτων αἴτιοί εἰσιν οἵπερ καὶ τῶν ἐναντιωτάτων [τουτέστιν τῶν εὐφοριῶν], ἑαυτοὺς ἐξαιροῦντες τῆς αἰτίας καὶ αὐτὸ τοῦτο πραγματευόμενοι πρῶτον, τὸ λανθάνειν ἀδικοῦντες. τρέπουσίν τε μετὰ τοῦτο ἐπὶ λιτανείας ἡμᾶς καὶ θυσίας τῶν ἀγαθοεργῶν θεῶν ὡς ὠργισμένων. ταῦτα δὲ καὶ τὰ ὅμοια ποιοῦσιν, μεταστῆσαι ἡμᾶς ἐθέλοντες ἀπὸ τῆς ὀρθῆς ἐννοίας τῶν θεῶν καὶ ἐφ᾽ ἑαυτοὺς ἐπιστρέψαι. πᾶσι γὰρ τοῖς οὕτως ἀνομολόγως καὶ ἀκαταλλήλως γινομένοις αὐτοὶ χαίρουσι, καὶ ὥσπερ ὑποδύντες τὰ τῶν ἄλλων θεῶν πρόσωπα, τῆς ἡμετέρας ἀβουλίας ἀπολαύουσιν, προσεταιριζόμενοι τὰ πλήθη διὰ τοῦ τὰς ἐπιθυμίας τῶν ἀνθρώπων ἐκκαίειν ἔρωσιν καὶ πόθοις πλούτων καὶ δυναστειῶν καὶ ἡδονῶν, κενοδοξίαις τε αὖ, ἐξ ὧν στάσεις καὶ πόλεμοι φύονται καὶ τὰ συγγενῆ τούτων*“. Tum malignos deos homines incitare, ut mala facinora committant, ex epistula ad Marcellam elucet. cap. 16: „*κακῶν δὲ πράξεων κακὸς δαίμων ἡγεμών*“. Secundum facta corpora quoque numinum malorum foeda et deformia esse putantur, numinum bonorum formam pluchram esse perhibetur. cf. de abst. II 39: „*ἐν συμμετρίᾳ μὲν οὖν τὸ τῶν ἀγαθῶν ὡς καὶ τὰ σώματα τῶν φαινομένων, τῶν δὲ κακαποιῶν ἀσύμμετρα, . . .*“ Tum numina bona hominibus nihil mali inferunt et quasi interpretes

inter deos et homines sunt id est funguntur iisdem muneribus, quae apud christianos angeli administrare dicuntur. cf cap. 38 libri II de abst.: „*ταύτας δαίμονάς τε ἀγαθοὺς νομιστέον καὶ ἐπ᾽ ὠφελείᾳ τῶν ἀρχομένων πάντα πραγματεύεσθαι, εἴτε τινῶν ἀφηγοῖντο ζῴων, εἴτε καρπῶν ἀποτεταγμένων, εἴτε καὶ τῶν ἕνεκα τούτων, οἷον ὄμβρων, πνευμάτων μετρίων, εὐδίας, τῶν τε ἄλλων ἃ τούτοις συνεργεῖ, εὐκρασίας τε ὡρῶν τοῦ ἔτους, ἡμῖν αὖ τεχνῶν τε καὶ τῶν κατὰ μουσικὴν παιδείας τε συναπάσης ἰατρικῆς τε καὶ γυμναστικῆς ἤ τινος τούτοις ὁμοίας. τούτους γὰρ ἀδύνατόν ἐστι καὶ τὰς ὠφελείας ἐκπορίζειν καὶ πάλιν αὖ βλάβης ἐν τοῖς αὐτοῖς αἰτίους γίγνεσθαι. ἐν δὲ τούτοις ἀριθμητέον καὶ τοὺς πορθμεύοντας, ὥς φησὶ Πλάτων, καὶ διαγγέλλοντας τὰ παρ᾽ ἀνθρώπων θεοῖς καὶ τὰ παρὰ θεῶν ἀνθρώποις, τὰς μὲν παρ᾽ ἡμῶν εὐχὰς ὡς πρὸς δικαστὰς ἀναφέροντας τοὺς θεούς, τὰς δὲ ἐκείνων παραινέσεις καὶ νουθεσίας μετὰ μαντειῶν ἐκφέροντας ἡμῖν*“.

Quae omnia propterea allata sunt, ut Cornelii Labeonis doctrinam cum his praeceptis Porphyrii consentire dilucidius fiat. Labeo quoque distinguit inter deos et inter numina mala et bona et idem mala numina irata solis precibus lamentationibusque et sacrificiis cruentis conciliari posse dilucide confirmat. cf. Aug. civ. dei II 11: „cum praesertim Labeo, quem huisce modi rerum peritissimum praedicant, numina bona a numinibus malis ista etiam cultus diversitate distinguat, ut malos deos propitiari caedibus et tristibus supplicationibus asserat, bonos autem obsequiis laetis atque iucundis, qualia sunt, ut ipse ait, ludi, convivia lectisternia.“ Labeo quoque eos deos, qui calamitates frugum aut sterilitatem agrorum aut bella efficiant, in numinibus malis numerat, id quod ex civ. dei III 25 intellegitur: „An ulla ratio redditur, cur Concordia dea sit et Discordia dea non sit, ut secundum Labeonis distinctionem bona sit ista, illa vero mala.“ Tum cf. Kahl l. c. p. 778; et fortasse Aug. civ. dei IX 1 huc referre licet: „Et bonos et malos deos esse quidam opinati sunt,“ etsi prorsus dubium est, num Augustinus hoc loco Labeonem impugnet. Ex Arnobii opere ad Labeonem referendum esse iam Kettner et Kahl l. c. p. 779, docuerunt VII 23: „Nam quod dici a vobis accipimus, esse quosdam ex diis bonos, alios autem malos et ad nocendi libidinem promptiores, illisque

ut prosint, his vero ne noceant sacrorum sollemnia ministrari." Tum Arnobii IV 5, quod idem viri docti et prudentes Labeonis esse probaverunt. cf. Kahl l. c. p. 779: „Dii laevi deae laevae sinistrarum tantum regionum sunt praesides et inimici partium dexterarum . . ." Non minus quam Porphyrius Cornelius Labeo numina mala foedis informibusque corporibus, colore taetro esse censet. cf. Arnob. III 25, 26, quem locum ad Cornelium Labeonem referendum esse Kettner et Kahl rectissime admonuerunt. cf. Kahl l. c. p. 778. Arnobii verba haec sunt: „Quid, quod non contenti tam deformibus subdidisse atque implicuisse deos curis, naturas his etiam feras truculentas immanes, malis gaudentes semper et humani generis adtribuitis vastitate." Tum hoc loco certe ponendus est Arnob. VII 19: „quia superis diis, inquit, atque ominum dexteritate pollentibus color laetus acceptus est ac felix hilaritate candoris, at vero diis laevis sedesque habitantibus inferas color furvus est gratior et tristibus suffectus e fucis." Dubitationem haud scio an moveat illa res, quod Cornelius Labeo daemones bonos interpretes et deorum et hominum non significat. Attamen Labeonem hoc dixisse confirmaverim, cum nisi fecisset eum Augustinus tam vehementer increpare non potuisset, quod ausus esset daemones bonos comparare cum angelis christianorum. Quae comparatio non recta fuisset, nisi Cornelius Labeo numina bona iisdem muneribus fungi atque angelos christianorum docuisset. cf. civ. dei IX 19: „Sed ne de verbis etiam nos certare videamur, quoniam nonnulli istorum, ut ita dixerim, daemonicolarum, in quibus et Labeo est, eosdem perhibent ab aliis angelos dici, quos ipsi daemones nuncupant, iam mihi de bonis angelis aliquid video disserendum, quos isti esse non negant, sed eos bonos daemones vocare quam angelos malunt." Videmus igitur Labeonis praecepta maxima ex parte eadem esse atque Porphyrii. Qua de tota re dubitaverit quispiam, quod alter scriptor dicat de *θεοὺς ἀγαθοὺς καὶ κακούς*, alter *δαίμονας ἀγαθοὺς καὶ κακούς*. At ipsa aetate Neoplatonicorum haec nomina certis terminis non circumclusa fuisse multa exempla docent. cf. Porphyr. de abst. II cap. 40: „*ἓν γὰρ δὴ καὶ τοῦτο τῆς μεγίστης βλάβης τῆς ἀπὸ τῶν κακοεργῶν δαιμόνων θετέον . . . τρέπουσίν τε μετὰ τοῦτο ἐπὶ λιτανείας ἡμᾶς*

καὶ θυσίας τῶν ἀγαθοεργῶν θεῶν ὡς ὠργισμένων." cf. Arnob. IV 5: „Dii laevi, deae laevae" et Arnob. VII 23 „esse quosdam ex diis bonos alios autem malos." Tum Augustinus probat confirmatque cf. civ. dei IX 1: „Sed illi, qui deos quosdam bonos, quosdam malos esse dixerunt, daemones quoque appellaverunt nomine deorum, quamquam et deos, sed rarius, nomine daemonum." Tum idem in civ. dei II 11, ubi primum de numinibus malis tum de diis malis et bonis scribit. Locus supra allatus est. Labeo igitur doctrinam, quam de dis numinibusque et malis et bonis protulit, ex Porphyrio hausisse videtur, id quod iam Kahl l. c. coniecerat p. 782.

Iam venimus ad pervestigandos eos fontes, quibus Labeo in doctrina animarum humanarum usus est. Atque eum certe disciplina Etruscorum imbutum esse iam supra demonstratum est. cf. Kahl l. c. p. 783: „Wir halten daran fest, daß Labeos berühmte lehre . . . von der etruskischen disziplin beeinflußt ist." Tum adiuvante Krollii commentatione Labeonem videri oracula Chaldaica inspexisse in studiis suis illustratum est. Iam vero eodem libro Krollii adiutore Labeonem doctrinam animarum humanarum ex Porphyrii libris vel Neoplatonici posterioris excerpsisse demonstrare licet. In cap. II 25 Arnobius, quem ex Cornelio Labeone hic haurire paulo supra illustrabatur, haec verba facit: „haecine est anima docta illa quam dicitis, immortalis perfecta divina, post deum principem rerum et post geminas mentes locum optinens quartum . . ." Dilucide igitur post deum summum, principem rerum et post geminas mentes animam humanam locum suum obtinere dicit. Kroll autem neminem nisi Porphyrium, celeberrimum Plotini discipulum, et omnes, qui eum secuti sunt ut Jamblichus alii, demonstravit hoc peccavisse, quod illas significationes Chaldaeorum: patrem, mentem paternam, secundam mentem, quibus vocibus illi summos et potentissimos deos appellant, tres inter se prorsus diversos deos esse putaverunt, cum Chaldaei ipsi eos duos deos esse declarent. cf. Kroll l. c. p. 6 et p. 14, ubi dicit: „Quaeritur enim, quae ratio intercedat inter patrem, mentem paternam, secundam mentem. Pro tribus dis eos habuit Porphyrius (p. 6) . . . Re vera duo sunt . . ." Si Labeo ipse oracula Chaldaica inspexisset, eum hoc non pecca-

turum fuisse manifestum est, ut animam humanam post deos summos quartum locum obtinere diceret. Namque si animam post duos summos deos collocari necesse est, tertium non quartum locum obtinet. Quoniam igitur Labeo idem atque Porphyrius peccat, eum Porphyrium vel aliquem discipulum ut exemplo utar Jamblichum excerpsisse concludendum est. Qua ex re Labeonem libros post Porphyrium vel aliquem discipulorum eius condidisse maxima cum probabilitate concluditur, id quod Kahlii opinionem confirmat, qua doctrinam numinum bonorum et malorum ex Porphyrio maxima ex parte descripsisse Labeo dicitur, cum doctrina animarum humanarum ex eodem philosopho magna ex parte hausta esse videatur. Dixerit quispiam Arnobium ipsum oracula Chaldaica inspexisse, id quod verisimile non est, cum hunc rhetorem raptim libros adversus gentes composuisse ex compositione operis ipsius cognoscatur, ut verear, ut multum in his studiis laboraverit.

Quoniam praecepta oraculorum Chaldaicorum Labeoni per Porphyrium vel eius discipulos tradita esse vidimus, plura quoque Arnobii cum Porphyrio congruentia investigare cupimus. At res dubia esse videtur et argumenta veritatem non probant nisi per ambages. Quae cum ita sint, tamen adferentur. Namque cum Labeonem magnam partem placitorum ex Porphyrii libris hausisse supra demonstratum sit, eos quoque locos Arnobii, qui placitorum Porphyrii simillimi sunt, nihil aliud esse nisi praecepta Labeonis ex Porphyrio sumpta conicere cogimur. Ex X. libro Aug. de civ. dei cap. 30 Porphyrium audimus doctrinam Platonicam transitionis animarum humanarum ita emendare conatum esse, ut eam mitigaret, ratus animas mortuorum hominum in corpora bestiarum descendere non posse, id quod Plato saepenumero fieri confirmaverat. cf. Plat. Phaedr. 249 B. rem publ. X 618 A. 620 sqq. Phaed. 81 E. Tim. 42 B et C.[1]) cf. Aug. civ. dei X 30: „Nam Platonem animas hominum post mortem revolvi usque ad corpora bestiarum scripsisse certissimum est. Hanc sententiam Porphyrii doctor tenuit et Plotinus. Porphyrio tamen iure displicuit. In hominem sane non sua,

[1]) Quam rem addubitantes refutat Rohde Psyche II 276 adnot. 4.

quae dimiserant, sed alia nova corpora redire humanas animas arbitratus est. Puduit scilicet illud credere, ne mater fortasse filium in mulam revoluta vectaret.“ Tum confer verba, quae in eodem capite occurrunt: „dicit ⟨Porphyrius⟩ etiam ad hoc deum animam mundo dedisse, ut materiae cognoscens mala ad patrem recurreret nec aliquando iam talium polluta contagione teneretur . . .“ Quae doctrina Arnobio quoque ob oculos fuisse videtur, si reminiscimur illius disputationis: „idcirca animas misit“, qua omnibus instrumentis officinarum rhetorum adhibitis animas humanas non a summo deo, principe omnium rerum, in hanc terram mitti potuisse exponit, cum sescentis malis obruerentur. Longum est omnes sordes et miserias, quibus animas humanas affici Arnobius dicit, enumerare. At nimirum nusquam ullo verbo sortem miserabilem earum animarum, quae post mortem corporis humani in corpora bestiarum migrare coactae sint, commemorat. Quam opinionem Platonicam si adversarius eius protulisset, eum non praetermissurum fuisse puto, quin miserias calamitatesque omnes animarum bestiarum corporibus inclusarum rhetorum modo depingeret. Num adversarius Arnobii deum animas ob eam causam, quam Augustinus loco supra allato profert, misisse docuerit, contendere non audeo, quamquam, si res ita se habeat, tum demum illa verba Arnobii: „idcirco animas misit“ optime intellegantur. Neque argumentis id confirmari potest.[1]) Iam vero ex capite illo Augustini

[1]) Qua in re Mauium in libro, qui inscribitur: die Religionsphilosophie Kaiser Julians in seinen Reden auf König Helios und die Göttermutter. Leipz. u. Berl. 1907, nuperrime has sententias refutavisse commemoro. Locis, qui supra ex Augustini de civitate dei libris adlati sunt, omnino neglectis Mau p. 9 sq. ex ipsis libris Porphyrianis longe aliam sententiam se invenisse sibi persuasit, qua animae in corpora quoque bestiarum migrare dicantur. verba eius adscribo: „nach ihm (Porphyrius) besitzt alles, was Empfinden hat, auch Denken, alle Menschen sind miteinander verwandt, mit ihnen aber auch alle Lebewesen (Porph. de abst. III 25 *τοὺς πάντας ἀνθρώπους ἀλλήλοις τίθεμεν καὶ ξυγγενεῖς, καὶ μὴν ⟨καὶ⟩ πᾶσι τοῖς ζῴοις*), und die Seele hat nicht allein in dem Menschen ihr Zelt aufgeschlagen, sondern so ziemlich in allen Lebewesen ist dieselbe Seele (Porph. de abst. IV 9 Anf. *οὐδὲ ψυχὴ ἐν μόνῳ ἀνθρώπῳ ἐπὶ γῆς κατεσκήνωσεν, ἀλλὰ σχεδὸν ἡ αὐτὴ διὰ πάντων διῆλθεν τῶν ζῴων*). Aus allem folgt, daß auch Porphyrius nur eine Seele, die auf Erden

animis mortuis si praecipue piam et sanctam vitam in hac terra degerint, non iam in alia corpora migrandum esse sed eas in perpetuum voluptatibus elysii frui cognoscitur. Quam rem imprimis Porphyrium docuisse Augustinus dilucide dicit compluribus locis cf. civ. dei X 30: „. . . in eo tamen aliorum Platonicorum opinionem et non in re parva emendavit, quod mundatam ab omnibus malis animam et cum patre constitutam numquam iam mala mundi huius passuram esse confessus est“. Tum paulo infra, ubi Augustinus animas, quippe quae se aliquando in corpora mortalia iterum descensuras esse bene noverint, nunquam beatas atque felices esse posse arbitratur. cf. verba eius: „Nec veritate ibi beata erit anima, quamdiucumque erit, ubi oportet fallatur, ut beata sit. Non enim beata erit nisi secura; ut autem secura sit, falso putabit semper se beatam fore, quoniam aliquando erit et misera. Cui ergo gaudendi causa falsitas erit, quo modo de veritate gaudebit? vidit hoc Porphyrius purgatamque animam ob hoc reverti dixit ad patrem, ne aliquando iam malorum polluta contagione teneatur.“ Eandem doctrinam invenies Aug. civ. dei X 29: „An vero quod ipsum corpus morte depositum et in melius resurrectione mutatum iam incorruptibile neque mortale in superna subvexit, hoc fortasse credere recusatis intuentes Porphyrium in his ipsis libris, ex quibus multa posui, quos de regressu animae scripsit, tam crebro praecipere omne corpus esse fugiendum, ut anima possit

---

herabgekommen ist, annimmt. Darauf gründet sich ja auch seine ganze Lehre von der Enthaltung vom Beseelten, die ihre letzte Wurzel im Pythagoreischen System hat, dessen Grundsatz, daß man alles Werdende als beseelt und verwandt auffassen muß, uns Porphyrius selbst mitteilt (Porph. vit. Pyth. 19 Ende: „*πάντα τὰ γινόμενα ἔμψυχα ὁμογενῆ δεῖ νομίζειν*“). Dilucide Mau sententiam, quam ex Aug. civ. dei X 30 l. a. Porphyrii esse scimus, refellit. cf. p. 10 adnotat. 3: „Aeneae Gazaei Theophrastus bei Migne Patrol. Gr. 85 p. 892 sq. *οὐκ εἰς ὄνον φασίν, ἀλλ' ὀνώδη ἄνθρωπον ἀναβιῶναι τὸν ἄθρωπον, οὐκ εἰς λέοντα, ἀλλ' εἰς λεοντώδη ἄνθρωπον.* Hier wird zwar auch dem Porphyrius diese Lehre zugeteilt, der aber, wie wir aus seinen Schriften feststellen können, auf anderem Boden steht.“ Si res ita se habent, hoc loco Labeo et Porphyrius inter se dissentiunt, qua re sententia infra prolata de Cornelio Labeone Iamblichi auctore confirmatur.

beata permanere cum deo?“ Qua cum doctrina Arnobii contextus verborum congruit, qui est in cap. 62 libri II: „quod ab sciolis . . . si vitam restrictius egerint . . .“ Namque vocem „restrictius“ ita interpretari debemus, ut animae, quae ea ratione, quam Porphyrius libris de abstinentia compositis praescripsit, ad deum summum in perpetuum revertantur. Quibus ex libris Porphyrii sola summa abstinentia animas deo, principi rerum, similes fieri elucet. Quo de praecepto huius philosophi nos admonet ille contextus verborum Arnobii in cap. 13 libri II: „vos enim non omnes pro illarum geritis incolumitatibus curas? Non quod vitiis omnibus et cupiditatibus abstinetis metus ille vos habet, ne velut trabalibus clavis adfixi corporibus haereatis?“ Haec omnia doctrinam quoque Porphyrii continere satis superque constat. cf. Zeller l. c. III² p. 661 sqq. Animam ipsam hominum incorporalem simplicemque esse Porphyrius docuit. cf. Zeller l. c. III² p. 655. Idem Arnobii adversarium docuisse elucet ex cap. 26 alterius libri: „et ubi est illud, quod dicitur, incorporalis animas substantiam non habere?“ et paulo infra: „ita necesse est animas, si sunt ut perhibetur incorporeae . . .“ tum cf. II 39: „idcirco animas misit, ut quae fuerant simplices et bonitatis nuper innoxiae . . .“

Dura sane atque obscura illa Arnobii in capitibus alterius libri 13 et 62 videntur esse, ubi rhetor christianus dicit de „magis“ et „ritibus quibusdam secretis“, qui animas hominum post mortem corporis adiuvare possint. At in hac re placitis Porphyrii iuvamur, qui quamquam philosophus homines admonet, ut auxilium theurgorum usurpent. Cuius rei Augustinus testis est de civ. dei X 9: „Nam et Porphyrius quandam quasi purgationem animae per theurgiam, cunctanter tamen et pudibunda quodam modo disputatione promittit.“ Etiam theurgiam ipsam Porphyrius probavit. cf. Aug. l. c.: „Hanc enim dicit per quasdam consecrationes theurgicas, quas teletas vocant, idoneam fieri atque aptam susceptioni spirituum et angelorum et ad videndos deos.“ Quam theurgiam Porphyrius quasi conciliatricem deorum esse confirmat. cf. Aug. civ. dei X 9: „ipsamque theurgiam, quam velut conciliatricem angelorum deorumque commendat . . .“Quibus rebus explicatis Arnobium in hac parte operis

„magos“ commemorare posse apparet, cum Porphyrius hoc genus hominum in libris protulerit. Qui homines periti, quoniam daemones vel allicere vel fugare possunt, qui animis hominum post corporis mortem nocere possunt, maximi faciendi singulis hominibus sunt. Namque Porphyrius ipsis verbis suadet, ut omnis homo auxilio cuiusdam daemonis utatur. cf. Aug. civ. dei X 9: „et admoneat ⟨Porphyrius⟩ utendum alicuius daemonis amicitia, quo subvectante vel paululum a terra possit elevari quisque post mortem . . .“ Videmus igitur, quantum in Porphyrii doctrina magi valeant, qui daemones ita placant, ut animis ad sedem patris redeuntibus non noceant. Qua re illae potestates quaedam, quas animas mortuis corporibus vexare vel impedire posse Arnobium dixisse iam supra commemoratum est nobis perspicuae fiunt ita ut illos locos, ubi occurrunt, ad Porphyrii placita referendos esse censeamus. cf. Arnob. II 13 et II 62 l. s. a.

De Cornelii Labeonis aetate.

Cap. IV.

Hac quaestione Cornelium Labeonem imbutum fuisse placitis Porphyrii illustratum est, ut hunc theologum Romanum sectatorem fuisse vel Porphyrii ipsius vel discipuli cuiusdam Porphyrii coniciatur. Qua re probata confirmataque opiniones omnes eorum, qui Cornelium Labeonem superioribus saeculis natum esse confirmant, ut Bureschii[1]), Wolffii[2]), Muelleneisenii labefactantur. Primum ea sententia, quam Buresch variis locis profert, refutanda nobis est. cf. Buresch, l. c. p. 44: „Cornelius Labeo, der sich im 2. Jahrhundert . . befaßte.“ Quo loco Buresch Arnobium ex Cornelii Labeonis libris praecepta sua non hausisse non negat. Imprimis p. 128 cum Kahlii sententia, quippe qui in Philol. suppl. V. Cornelium Labeonem Porphyrii philosophi Neoplatonici pressisse vestigia ostendere conatus sit, pugnat

[1]) Buresch: Klaros, Leipzig 1889.
[2]) Wolff: Porphyrii de sapientia ex oraculis haurienda.

hoc fere modo. Verba eius adscribo: „Ein Beweis für die Ansetzung der Schriftstellerei Labeos zwischen 260 und 295 ist von Kahl S. 804 f. keineswegs erbracht worden, denn diese Ansetzung fußt in der Tat auf nichts weiter, als auf der mehr denn fragwürdigen Annahme von „Beziehungen zum Neuplatonismus“ und auf der Grundvoraussetzung, daß Labeos Schriften „295 ihre erstmalige (?) Benutzung und Bekämpfung durch Arnobius erfuhren“ (S. 805). „Und diesen Grundsatz halte ich für grundfalsch.“ Ut Bureschii errorem illustremus, Cornelium Labeonem subtiliter distinxisse inter daemones bonos et inter daemones malos reminisci nos oportet, tum quomodo de anima humana cogitaverit neglegendum non est. Ne uno quidem loco illum theologum Romanum animas hominum corporibus mortuis daemones fieri docuisse comperimus, immo omnibus animas hominum post mortem dignas esse, quae deum summum adspiciant laetitiaque aeterna fruantur cf. Arnob. II 15, II 28, II 33 ⟨loci supra allati sunt⟩. Quicumque homines, dum in terra versati sunt, vitiis cupiditatibusque pravis dediti vixerunt, post mortem in Tartarum abiciuntur, cf. Arnob. II 14, et animae eorum rursus in corpora hominum redire coguntur cf. Arnob. II 13. Ubi ea placita, quae singuli philosophi de animis humanis, de daemonibus, de dis protulerunt, perlustramus, Xenocratem philosophum daemones nihil aliud esse nisi animas hominum mortuorum docuisse videmus. Homines probi castique post mortem corporis evadunt boni daemones, pravi impurique homines corporibus mortuis fiunt mali daemones. cf. Heinze[1]) p. 83. Tum Xenocrates et Plutarchus, qui eius doctrinam venditat pro sua, non dilucide distinguunt inter daemones bonos et malos, sed secundum eos omnes daemones et boni et mali hominibus incommoda damnaque inferunt. cf. Heinze l. c. p. 95: „gegebenenfalls war der Wille zu schaden bei allen vorhanden, und zwischen schlechthin guten und bösen wurde nicht geschieden“. Quorum philosophorum vestigia Cornelium Labeonem pressisse negandum est, quoniam eum diligenter distinxisse inter bonos et malos daemones et ex Augustino et ex

[1]) Heinze, Xenocrates. Leipzig 1892.

Arnobio scimus. Ne celeberrimorum quidem illorum Stoicorum doctrina, quorum sapientia recentiores multi scriptores se iactare solent, ad ea, quae Cornelius Labeo docuerat, quadrat, cum et Posidonius et recentiores Stoici daemones nihil aliud esse nisi animas hominum mortuorum docuerint cf. Heinze l. c. p. 98. Idem Apuleius contendit, qui de daemonibus eadem atque Xenocrates scripsit, ut ne eius quidem placita Cornelius Labeo accepisse videatur. Proximus Apuleio Plotinus, cuius libri ex parte servati sunt, de daemonibus sententiam protulit, quae omnibus opinionibus eorum, qui simul cum eo fuerunt, praestabat, cum ille philosophus eadem ratione atque Plato daemones re vera non esse corporales docuerit. cf. Heinze l. c. p. 118 sq. Porphyrius demum et qui eum secuti sunt, inter daemones bonos et malos distinxerunt, quorum alteri nihil nisi bonum, alteri nihil nisi malum efficiunt, id quod supra illustratum est. Accedit, quod hi theologi daemones non antea humanas animas fuisse existimaverunt. Videmus igitur Cornelii Labeonis doctrinam ad hos demum philosophos quadrare. Tum oracula Chaldaica, quae Cornelium Labeonem usurpavisse ostendimus, circa annum p. C. n. 200 conlecta atque a Romanis scriptoribus inspecta esse Kroll l. c. p. 72 exposuit. Quae cum ita sint, facere non possumus, quin Cornelium Labeonem post Porphyrium libros condidisse atque Arnobium in eum 7 libros composuisse concedamus. Reiciuntur igitur opiniones et Bureschii et Wolffii l. c. p. 52 et Muelleneisenii l. c. p. 20 und 41, paginae 42 verba, quae plane futilia sunt, adscribo: „Deinde autem mihi quidem minime placet, Labeonem cum Platonicis comparari et confundi, nam non modo non compluribus locis, s e d n e u n o q u i d e m l o c o apud eum reperio similia iis, quae Platonici de daemonibus praeceperunt“. Qua de sententia multis verbis disputare operae pretium esse non videtur, cum Kettneri l. c. et Reifferscheidii [1]) p. 9 et Kahlii l. c. p. 805 et Wissowae [2]) p. 33 sqq. et Wachsmuthii [3]) p. XXIX disputationibus refutetur. Eodem modo

[1]) Reifferscheid, Index lection. schol. Vratisl. 1879/80.

[2]) Wissowa, Hermes XXII.

[3]) Wachsmuth, Prolegomena in Lydi librum de ostentis.

edriciena est Heinzii sententia (p. 113 adn. 5), qui ea quae Cornelius Labeo de daemonibus docuerit, nos in primum saeculum a. C. n. remittere opinatur.

Cum Cornelium Labeonem ab Arnobio libris adversus gentes petitum esse pro comperto habere liceat et cum Labeo placita quae ad Porphyrium et eius discipulos referantur, proponat, fieri non potest, quin inter annos p. C. n. 250—326 scripserit id est aetate Arnobii. Qua raticinatione facta opinio Agahdii,[1]) qui Arnobiuum non iam ipsum libros Cornelii Labeonis inspexisse dicebat, reicienda est. cf. eius verba p. 118 l. c.: „tres illi auctores ⟨Arnobius, Macrobius, Lydus⟩ quamquam non nihil inter se congruunt, tamen et verbis et serie sententiarum dissentiunt, ut n e u n u s q u i d e m i p s u m L a b e o n e m inspexisse videatur“. Agahdii sententiae Wissowae quoque verba in Herm. XXII p. 36 obstant. Num Agahdii, cui Bluhme [2]) p. 71 omnino adsentitur, sententia in Macrobium scriptorem conveniat, infra indagandum est. At de Joanne Laurentio Lydo sententia Agahdii per se stat. Tum hac indagatione Littii [3]) sententia refellitur, qui in p. 32 sq. Arnobium in condendo opere adversus gentes libro Cornelii Labeonis de fastis usum esse censet, cum in opere eius modi tam amplas disputationes de anima humana fuisse vix credibile sit. Namque ne Lydus quidem in libro περὶ μηνῶν, quamquam de variis rebus loquitur, quae vix ad propositum attinent, tales res adfert. At cave, ne hisce verbis credas dici Cornelium Labeonem librum de fastis omnino non composuisse. Qua de sententia, quam Wissowa in commentatione [4]) sua defendit et etiam in Encyclopaedia sua IV p. 1353 sq. tenet, iam iudicandum est.

[1]) Agahd, M. Ter. Varronis antiquitates rer. div. Leipzig 1898.

[2]) Bluhme, De Joannis Laurentii Lydi libris περὶ μηνῶν observationum capita duo. Halle 1906.

[3]) Litt, De Verri Flacci et Cornelii Labeonis Fastorum libris. Bonn 1904.

[4]) Wissowa, De Macrobii Saturnaliorum fontibus. 1880.

De Cornelii Labeonis fastorum libro.

Cap. V.

In Saturnaliorum libro I 16, 29 Macrobius Cornelium Labeonem librum de fastis condidisse dilucide dicit: „Cornelius etiam Labeo primo fastorum libro . . .“ Ubi a Macrobio errore quodam pro nomine Antistii Labeonis iuris consulti Cornelii Labeonis nomen scriptum esse Wissowa censet. Ut sententiam confirmet, haec argumenta profert. Primum Cornelii Labeonis pronuntiatum in parte quadam Macrobiani libri, quae tota ad Suetonium Tranquillum reduci possit, esse neque ullo modo tam facile excipi posse, quam cetera pronuntiata inserta, ut exemplum adferam Sat. I 12, 20—29, quo loco ipso quoque nomen Cornelii Labeonis proferatur. Tum si hoc loco I 16, 29 Cornelii Labeonis nomen rectum sit, optimo iure dubitari, num haec pars Suetonio vindicanda sit. cf. Wissowa l. c. p. 26: „. . . Labeonem si hic a Macrobio citari concedendum est, actum est de Suetoniana horum capitum origine“. Huc accedere, quod ceteri omnes scriptores a Macrobio hoc loco citati antiquiores imperatore Tiberio essent solus Cornelius Labeo multo recentior. Denique opus fastorum non convenire viro docto, qui theologicis imprimis rebus operam navaverit. cf. verba eius in p. 28 l. c.: „porro vide ipsum operis argumentum quantopere fuit et a toto illo tempore et ab ipso Cornelio Labeone alienum; nam tertio saeculo exeunte conditos esse de fastis commentarios complures libros amplexos per se minime est veri simile, cum ⟨praeter Suetonium⟩ omnium, quos de fastis scripsisse scimus, recentissimus sit Julius ille Modestus“. Quae Wissowae argumenta probabilia non sunt. Namque Macrobium in eas partes operis, quas maximam partem ex Suetonio descripsit, nonnulla pronuntiata Cornelii Labeonis inserere Wissowa ipse indicavit cf. sat. I 12, 20—29. Qua in re illos locos postea intrusos esse cognosci concedendum est, quia Macrobius illo loco magnas et alienas partes insuit contextui verborum Suetonianorum. At quod Wissowa Macrobium tam stupidum esse censet, qui pronuntiatum ne decem quidem verborum alicui disputationi ita inserere

non potis sit, ut fraus non extemplo cognoscatur, haud ita veri simile est. Neque enim fieri potest, quin Mabrobium illum contextum verborum: „Cornelius etiam Labeo . . .“ verbis Suetonianis postea intrusisse credamus, cum cetera omnia ex illo viro descripserit. Quod autem attinet ad illud Wissowae, quo Cornelio Labeoni non iam illa aetate opus de fastis condere convenisse opinatur, nihil est nisi coniectura, cum libri eius modi sexto p. C. n. saeculo velut Lydi liber, qui inscribitur *περὶ μηνῶν*, conderentur. Licet mihi quoque coniecturam facere, quae nos fortasse paululum iuvat. Illae partes apud Macrobium insertae, quas Wissowa l. c. sat. I 12, 20—22 suo iure ostendit, quas ex libro quodam Cornelii Labeonis sumptas esse scimus, nonne ex illo de fastis opere descriptae esse possunt? Macrobius quidem illis locis de Maio mense locutus, quomodo factum sit, ut ille mensis Maius appellaretur, demonstrare conatur. Cuius rei probandae causa permultos auctores adfert, quorum alius alio modo nomen derivat. Denique Cornelius etiam Labeo citatur. Cuius doctrinam in libro fastorum inventam esse pro certo affirmaverim duobus argumentis commotus. Nam primum utroque loco a Macrobio allato, ubi nomen Cornelii Labeonis citatur, nomen ipsius Maii mensis commemoratur, ut has explicationes in aliquo vel de fastis vel de mensibus libro fuisse credendum sit. Adfero verba Cornelii Labeonis apud Macrobium sat. I 12, 20 sqq.: „Cornelius Labeo consentit hanc Maiam, cui mense Maio . . .“ tum paulo infra: „Auctor est Cornelius Labeo . . . aedem Kalendis Maiis . . .“ Tum hanc coniecturam non futilem esse vel inde cognoscitur, quod hos ipsos locos Cornelii Labeonis Joannes Laurentius Lydus auctore non nominato in disputatione de Maio mense facta profert. cf. Lyd. de mens. p. 132, 11 sqq. W,[1]) quo de loco iam Kahl l. c. p. 740 sq. et Bluhme l. c. p. 69 disputaverunt. Wissowam l. c. p. 42 totam disputationem Macrobii I 12, 20—29 suo iure Cornelio Labeoni vindicare non ignoro, ut coniectura mea, qua solas paragraphos 20—22 ex opere de fastis haustas esse dico, satis praepropera esse videatur. At quis contrarium comprobare potest? Namque

---

[1]) Wünschii editionem adhibui.

equidem hanc ipsam partem doctrinae Cornelii Labeonis ex eodem libro theologi Romani depromptam esse negaverim his argumentis nisus. In initio harum paragraphorum scripta videmus haec verba: „adfirmant quidam“ et in his solis paragraphis de m e n s e Maio verba fiunt, tum in paragrapho 23 Macrob. sat. I 12 contextus verborum adparet: „sunt, qui dicant“, quasi Macrobius non eundem scriptorem sed novi aliquid se proferre sibi persuaserit. Quae opinio eo comprobatur, quod Lydus, quamquam in ceteris disputationibus mythologicis cum Macrobio congruit, in p. 132, 11 sqq. W. *περὶ μηνῶν* non adfert nisi paragraphos 20—22, ut facere non possimus, quin Cornelii Labeonis doctrinam, quam hic Macrobius venditat, ex diversis libris fluxisse putemus. Quae cum ita sint, hoc non magis certum esset, quam Wissowae sententia, et penes singulos esset, utram coniecturam probare vellent, nisi duo loci Lydiani de mens. p. 47, 18 sqq. et p. 83, 8 sqq. W. Wissowae obstarent. Quos locos Lydianos Wissowa, quem nihil novi adferens Bluhme l. c. p. 118 sectatur, ipsos quoque illi iuris consulto Antistio Labeoni attribuebat, imprimis ea re nisus, quod Lydus nusquam Labeonis nomen gentile adfert. cf. de mens. p. 11, 16: *παρὰ Λαβεῶνι*, p. 47, 18 W.: *ὁ Λαβεών*, p. 63, 8 W.: *ὁ Λαβεών*, p. 83, 8 W.: *ὁ δὲ Λαβεών*. Tum Wissowa rei probandae causa haec in Encyclopaedia sua IV p. 1354: „denn, inquit, Lydus de mensibus 47, 18 sqq. deckt sich w ö r t l i c h mit Macrobius I 13, 6 f., wo an eine Loslösung aus der Suetonischen Umgebung nicht gedacht werden kann“. Sed cum re vera Lydus aliquanto plura quam Macrobius adferat, illud Wissowae „wörtliche“ Übereinstimmung magnam suspicionem movet. Namque ii loci, ubi re vera Lydus verbotenus congruit cum altero scriptore, infra demonstrabuntur, qui longe aliam faciem habent. Iam ambos locos, quos Wissowa verbotenus congruere dicit, comparabimus:

Macrob. sat. I 13, 6 sq.

„Ianuarius Aprilis Iunius Sextilis September November December undetricenis censebantur diebus, et quintanas

Nonas habebant, ac post Idus in omnibus a. d. septimum decimum Kalendas computabatur. 7.) Martius vero Maius Quintilis et October dies tricenos singulos possidebant. Nonae in his septimanae erant, similiterque post Idus decem et septem dies in singulis usque ad sequentes Kalendas putabantur, sed solus Februarius viginti et octo retinuit dies, quasi inferis et deminutio et par numerus conveniret.“

Lyd. *περὶ μηνῶν* p. 47, 18 sqq. W.

„ὅτι ὁ Λαβεών φησι τὸν Ἰανουάριον καὶ Φεβρουάριον, Ἀπρίλλιόν τε καὶ Ἰούνιον, Σεξτίλιον Σεπτέμβριον ἀπὸ ἐννέα καὶ εἴκοσιν ἡμερῶν τὸ πάλαι λαχεῖν, Μάρτιον δὲ καὶ Μάιον, Κυντίλλιόν τε καὶ Ὀκτώβριον ἀπὸ μιᾶς καὶ τριάκοντα, ὅθεν τοὺς ἀπὸ ἐννέα καὶ εἴκοσιν ἡμερῶν ἕλκοντας πεμπταίας ἔχειν τὰς Νώνας ὡς σεληνιακούς, τοὺς δὲ ἀπὸ μιᾶς καὶ τριάκοντα ἑβδομαίας ὡς ἡλιακούς. τὸν δὲ Φεβρουάριον ἐπίτηδες τ ο ὺ ς Θ ο ύ σ κ ο υ ς ἐλαττῶσαι, ἐπειδὴ ταῖς τῶν καταχθονίων ἑορταῖς φαίνεται πρὸς τοῦ ἱερέως Νουμᾶ παραχωρηθεὶς καὶ οὐ θεμιτὸν ἦν, ἴσα τοῖς οὐρανίοις αὐτοὺς τιμᾶσθαι, μειωθῆναι δὲ μᾶλλον τὸν τοῖς τὸ πᾶν ἐλάττοσι χθονίοις ἀφωρισμένον.“ [1])

Si verba utriusque scriptoris diligenter perlegas, facile discrepantias cognoscas, ut ea ad verbum inter se congruere omnino negandum sit. Ac Bluhme, postquam has discrepantias recte intellectas dilucide exposuit, Lydum et Macrobium non ex eodem fonte hausisse sibi persuadet, p. 120. Sed quoniam supra Wissowae, quem nulla alia re nisi concentu niti scimus, adsensus est, facere non potest, ut haec additamenta a se ipso detecta Cornelii Labeonis, cuius nomen in capite huius disputationis scriptum videmus, esse concedat, immo de ignotis quibusdam hominibus, quos inter Macrobium et Lydum fuisse dicit, verba facit. Quin inter Labeonem et Lydum scriptores haud satis noti interfuerint, dubitari vix potest, qua de re infra expositurus sum, quid sentiam. At hoc loco additamenta a nullo petita esse nisi a Cornelio Labeone pro comperto habeo. Cuius rei gravissimum documentum videtur esse, quod Lydus praeter nomen ipsum Labeonis E t r u s c o s commemorat, quorum cultui moribusque Cornelium Labeonem imprimis operam novavisse satis constat: *τὸν δὲ Φεβρουάριον ἐπίτηδες τοὺς Θούσκους . . .*“

[1]) Emendationes contextus Wünschiani Krollii beneficio accepi.

cf. Lyd. de ostent. ed. Wachsmuth p. 8, 23 sqq. cf. Arnob. III 40 alios. Item Numae nomen in loco, quem de Cornelio Labeone nos admonere scimus, cf. Lyd. *περὶ μηνῶν* p. 64, 15 sqq. W., de quo Kahl l. c. p. 745 disputavit, occurrit. Omnis disensio, quam difficilem esse diiudicatu nemo negabit, haud aliter componetur, nisi additamenta, quae Lydus exhibet, ex libro de fastis a Cornelio Labeone condito sumpta esse concedas. Quo ex opere Macrobius in sat. I 16, 29 auctorem suum, Suetonium, auget, quod opus Lydus in p. 47, 18 sqq. de mens. compilavit. Restat, ut pauca verba faciamus de altero loco Lydiano p. 83, 8 sqq. W., quem Wissowa a Cornelio Labeone abiudicat ne uno quidem argumento prolato. cf. Wissowa p. 1354. Iam ante Wissowam Kahl p. 732 sq. hunc locum Lydianum in suspicionem vocabat: „die etymologie: Februarius v. *φέβερ* = *πένθος* ist uns sonst nirgends bezeugt. Auch ist *φέβερ* völliges *ἅπαξ εἰρημένον* ... Wir müssen mit einem abschließenden urtheile über unsere Lydusstelle zurückhalten; es ist nicht ganz unmöglich, daß Lydus, der im allgemeinen nicht allzuviel glauben verdient, unter Labeos namen eine eigene etymologie eingeschmuggelt hat; es ist aber auch denkbar, daß Labeo jene etymologie einem uns unbekannten römischen grammatiker oder antiquar verdankte; endlich besteht noch eine dritte möglichkeit: Gellius erwähnt, daß der jurist Antistius Labeo es liebte, in seinen deductionen von der etymologie der wörter auszugehen, ad enodandos plerosque laqueos, wie Gellius sagt; so könnte Lydus a. a. o. sich auf Antistius nicht auf Cornelius Labeo beziehen."

De forma *φέβερ* longius disputare, vix operae pretium videtur esse, quia *φέβερ* vox nihil aliud est nisi error scriptorum, id quod ex apparatu critico Wünschii editionis elucet. Alterum argumentum Kahlii, quo Lydus ipse hanc etymologiam excogitavisse dicitur, refutatur commentatione Bluhmii, qui Lydum in describendis auctoribus diligentissimum esse illustravit. cf. Bluhme l. c. p. 42: „ut Lydum auctorum libros quibus usus sit ad verbum excerpsisse et res ab auctoribus relatas quas quidem recte intellexerit adcurate reprompsisse aut nihil fere mutantem aut raro perpauca de suis ipsum addentem statuamus". Nec reliqua argumenta Kahlii probabilia sunt.

Quibus omnibus rebus commotus facere non possum, ut librum, quem Cornelius Labeo de fastis scripsisse dicitur, in suspicionem vocem. cf. Wachsmuth l. c. p. XXVIII, quo loco ad eundem finem pervenit.

De studio quodam Cornelii Labeonis.

Cap. VI.

Priusquam quomodo de Cornelio Labeone et Macrobii et Lydi auctore iudicandum sit, disputem, ubi in libro *περὶ μηνῶν* placita Cornelii Labeonis occurrant, quae nondum nota sunt, breviter exponam. Qua in re omnia, quae et a Kahlio et a Bluhmio sagaciter indagata explicata sunt, omitto. Unus locus accedit, quem uterque vir doctus omnino neglexit. In p. 11, 14 de mens. W. haec verba legis: *ὅτι τριακοσίοις ἐγγὺς ὀνόμασιν εὑρίσκομεν καλουμένην τὴν Ἀφροδίτην, κεῖται δὲ παρὰ Λαβεῶνι τὰ ὀνόματα*". — Unde Cornelium Labeonem permulta Veneris nomina in aliquo libro attulisse concluditur, at qualia nomina fuerint dici nequit. Sed perbene accidit, quod eadem fere verba in p. 118, 16 sq. W. occurrunt, ubi Cornelium Labeonem, ut nomina Veneris explicaret, hymnos sacros inspexisse elucet. cf. Lydi verba: „*ἐν δὲ τοῖς ὕμνοις ἐγγὺς τριακοσίοις ὀνόμασιν εὑρίσκομεν καλουμένην τὴν Ἀφροδίτην*". Quae verba Lydiana inter se ita concordant, ut de iis dubitari omnino non possit. Qua in re de Hymnis Homericis cogitari omnes negabunt, immo tales hymni putandi sunt, quales in sacris conventiculis a populo cani solebant. Quorum carmina permulta cognovimus, ut, qualia nomina Cornelius Labeo Veneris explicaverit, animo fingere possimus. cf. Abel Orphica ⟨hymni 55⟩.

Οὐρανίη, πολύυμνε, φιλομειδὴς Ἀφροδίτη,
ποντογενές, γενέτειρα θεά, φιλοπάννυχε, σεμνή,
νυκτερίη, ζεύκτειρα, δολοπλόκε, μῆτερ ἀνάγκης."

Videmus igitur novum studium theologi Romani, qui sacris quoque hymnis praeter multa alia studia operam navavit.

De Cornelio Labeone Macrobii auctore.

Cap. VII.

Iam num Cornelii Labeonis libri a Macrobio ipso inspecti sint, disputandum est. Qua de re magna dissensio inter viros doctos orta est, ut paulo altius me repetere necesse sit. Supra Cornelii Labeonis placita, quae proferebat et de daemonibus et de anima humana, doctrinae Neoplatonicorum imprimis Porphyrii similia esse demonstratum est, ut fieri non possit, quin ex eorum libris crebro doctrinam hauserit. Tum Cornelium Labeonem ab Arnobio libris adv. gentes peti satis constat, ut seriem hominum habeamus, quorum alter alterum sequitur: Porphyrium, Cornelium Labeonem, Arnobium. Iam vero cum Porphyrium circa annos p. C. n. 233—304 fuisse sciamus, Cornelium Labeonem ipso Porphyrio vivo libros suos condidisse credere cogimur, quia Arnobius iam eius opera adgreditur. Videmus igitur aetatem Cornelii Labeonis definiri posse, si quo tempore Arnobius libros adversus gentes composuerit sciamus. Quae quidem res valde dubia atque obscura est, cum in libro ipso apologetae de hac re nihil inveniri confirmaverim. Optimo iure Jülicher in Pauly-Wissowae Encyclopaedia II p. 1206 talia verba, qualia in II. libri capite 71 inveniuntur: „ante trecentos annos religio, inquit, vestra non fuit". Vel paulo infra: „annos ducit quinquaginta et mille aut non multum ab his minus", pro nihilo putanda esse admonuit. Accedit, quod ex Hieronymo Arnobium libros raptim conscripsisse scimus, id quod ex omnibus libris operis primo obtutu elucet.[1]) Rethor est Arnobius, qui rhetorum officinis imbutus in gentes omnes rixatur non pugnat. Quam ob rem minime mihi placet, quod Jülicher capite 36 IV. libri commotus Arnobium circa annum p. C. n. 305 scripsisse sibi persuasit, quod haec verba edicta Diocletiani saperent. cf. Jülicher l. c. p. 1206. His verbis de Diocletiani edictis admoneri negare non ausus sim, at eodem tempore Arnobium scripsisse, quo haec edicta sunt, nego. Nihil aliud

[1]) cf. Hieronymus ep. ad Paulin. LVIII 10. „A. inaequalis est et nimius, absque operis sui partitione confusus.

dicere licet nisi post edicta demum Diocletiani id est post annum p. C. n. 305 libros Arnobium condidisse. Dicat quispiam, post annum p. C. n. 311 christianis pacem datam esse, ut post hunc annum Arnobius libros adv. gentes scribere vix potuerit. Quae res haud ita certa atque explorata est. Namque si totam indolem operis Arnobiani et rixantem et adrogantem contemplamur, ubi gentiles foedissimis verbis vocibusque illuduntur, hunc apologetam tam raro de persecutionibus vexationibusque christianorum loqui mirum est.[1]) Qua ex causa illam rem non iam animos hominum commovisse concludo, ita ut post annum p. C. n. 311 libros adv. gentes conditos esse confirmaverim. Quae res optime quadrat ad Hieronymi verba, qui Arnobium circa annum p. C. n. 326 vixisse commemorat. Quodsi ita res se habent, Cornelium quoque Labeonem postea scripsisse et etiam libros Iamblichi Neoplatonici, quem circa annum p. C. n. 330 mortuum esse satis constat, ipsum inspicere potuisse concludimus. Accedit. quod Arnobius ipse saepenumero de novitate libri adversarii loquitur. Quae coniectura si recta est, fieri non potest, quin Cornelius Labeo Iamblichi placitis imbutus sit. Iam illum theologum Romanum cum Iamblichi doctrina concordare ostendere conabor. Primum de daemonibus verba faciam.[2])

[1]) Ceteri loci sunt hi II 5, II 76, II 77, IV 16, V 29, VI 11, VI 27. At cave, ne Arnobium per tota capita de cruciatibus christianorum verba facere credas, immo paucis verbis rem stringit, quasi eam haud ita magni aestimet. cf. e. g. II 76, IV 16, VI 27. Paulo plus ex verbis quae sunt in II 5, II 77, V 29, VI 11 cognoscitur. At his quoque locis scriptum videmus nihil nisi declamationes rhetoris, qui de exiliis cruciatibusque christianorum comperisse videtur, neque ipse suis oculis res veras contemplatus est. Ut exemplo utar cf. II 77: „. . . flammis, exiliis beluis" . . . et cf. V 29: „ad haecine nos sacra flammis exiliis" . . .

[2]) Priusquam ad utrumque scriptorem inter se comparandum transeam, de auctore libri *περὶ μυστηρίων*, de quo inter viros doctos permagna dissensio est, pauca dicenda videntur. Zeller l. c. III² p. 715 adn. 1 hunc librum iniuria Iamblicho vindicari censet, cum vix cogitari possit discipulum tali modo in praeceptorem invehi, quali Iamblichum in Porphyrium. Quod argumentum futile esse mea quidem sententia Börtzler in p. 46 adnotatione 2, libri, qui inscribitur: Porphyrius' Schrift von den Götterbildern. Erlangen 1903, illustravit. Verba eius, quae probo, adscribo: „Mit Unrecht wird dieses Buch von manchen dem Iamblich abgesprochen. Wenn Zeller meint,

Comparantur inter se Cornelius Labeo et Iamblichus.

Cornelius Labeo distinguit inter deos, angelos daemones, animas puras cf. August. de civ. dei II 14 Arnobii librum II. ⟨loci supra allati explicati sunt⟩. Idem Iamblichus docet cf. Iamblichi de mysteriis librum[1]) p. ⟨editionis⟩ 8, 14 sqq. p. 9: „ὁ δὲ αὐτός ἐστί μοι λόγος πρὸς σέ, καὶ περὶ τῶν συνεπομένων θεοῖς κρειττόνων γενῶν, δαιμόνων φημὶ καὶ ἡρώων καὶ ψυχῶν ἀχράντων". Tum cf. p. 14, 3—18: „τὸ δ' ὅλον, πότερον ἓν γένος ἡγούμενος θεῶν, καὶ δαιμόνων ἕν, καὶ ἡρώων ὡσαύτως, καὶ ψυχῶν τῶν καθ' αὑτὰς ἀσωμάτων . . ." tum confer p. 16 l. c., quae verba perbene ad placita Cornelii Labeonis quadrant: „Ἀρχῆς δὴ οὖν καὶ τελευτῆς τοιαύτης οὔσης ἐν τοῖς θείοις γένεσι, δύο τῶν ἄκρων ὅρων τούτων μεταξὺ νόει μεσότητα, ὑψηλοτέραν μὲν τῆς τῶν ψυχῶν τάξεως, τὴν τῶν ἡρώων ἐπιτεταγμένην, δυνάμει καὶ ἀρετῇ, κάλλει τε καὶ μεγέθει καὶ πᾶσι τοῖς περὶ τὰς ψυχὰς ἀγαθοῖς οὖσι παντελῶς αὐτῆς ὑπερέχουσαν, προσεχῆ δ' ὁμῶς αὐταῖς συναπτομένην διὰ τὴν τῆς ζωῆς ὁμοειδῆ συγγένειαν· τῆς τὲ τῶν θεῶν ἐξηρτημένην τὴν τῶν δαιμόνων, μακρῷ δή τινι καταδεεστέραν αὐτῆς, συνακολουθοῦσαν, ἅτε δὴ οὐ πρωτουργὸν οὖσαν, ὑπηρετικὴν δέ τινα τῆς

Iamblich habe wohl schwerlich seinen Lehrer in solcher Tonart geschulmeistert, so scheint mir dieses Bedenken nicht nur nicht gegen die Autorschaft des Iamblich zu sprechen, sondern dem Verhältnis Iamblichs zu Porphyr gerade angemessen zu sein. Iamblich hat immerfort an seinem Lehrer herumgeschulmeistert, wie das auch aus einer ganzen Reihe von Proklusstellen hervorgeht. Iamblich hat sich über Porphyr weit erhaben gedünkt; und wenn die späteren Neuplatoniker immer nur von dem φιλόσοφος Πορφύριος aber von dem θεῖος Ἰάμβλιχος sprechen, so muß man den Grund vor allem in dem Gebahren des Iamblich suchen". Ut exemplum afferam, Proclus Iamblichum Porphyrium praeceptorem increpare dicit in commentario in Timaeum composito cf. p. 159, 25 sqq. ⟨ed. Diehl⟩ vol. I: „Πορφύριος δὲ εἰκότως φησὶ καὶ ἰατρικὴν ἀπὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἥκειν, διότι καὶ ὁ Ἀσκληπιὸς . . . . οἷς καὶ ὁ θεῖος ἐπέπληξεν Ἰάμλιχος". Vel cf. vol. I p. 307, 15 sqq.: „ἀλλὰ δὴ μετὰ τοῦτον ὁ θεῖος Ἰάμβλιχος πολλὰ μὲν ἀντιγράψας πρὸς τὴν Πορφυρίου δόξαν . . ." Huc accedit gravissimum argumentum, quod Proclus ipse Iamblichum huius libri auctorem esse testatur. Qua de re inspice, Bäumkeri librum, qui inscribitur: Das Problem der Materie, Münster 1890, p. 419 adn. 2.

[1]) Parthey, Iamblichi de mysteriis, Berlin 1857.

ἀγαθῆς βουλήσεως τῶν θεῶν συνεπομένην, ἐκφαίνουσαν εἰς ἔργον τὸ ἀφανὲς αὐτῶν ἀγαθόν, ἀπεικαζομένην τε πρὸς αὐτό, καὶ τὰ δημιουργήματα ἐπιτελοῦσαν πρὸς τὸ αὐτὸ ἀφομοιούμενα, τό τε γὰρ ἄρρητον αὐτοῦ ῥητὸν καὶ τὸ ἀνείδεον ἐν εἴδεσι διαλάμπουσαν, καὶ τὸ ὑπὲρ πάντα λόγον αὐτοῦ εἰς λόγους φανεροὺς προσάγουσαν, καὶ δεχομένην μὲν ἤδη τῶν καλλῶν τὴν μετουσίαν συμπεφυκυῖαν, παρέχουσαν δὲ αὐτὴν ἀφθόνως τοῖς μεθ' ἑαυτὴν γένεσι καὶ διαπορθμεύουσαν". Eandem differentiam invenimus in p. 67, 1: δαίμων ἥρως, ψυχή. Ex loco allato daemones quosdam eodem munere atque angelos christianorum fungi apud Iamblichum dilucide apparet. cf. l. c. p. 17 et 64: „διακονικὸν δὲ τὸ δαιμόνιον καὶ παραδεχόμενον ἅπερ ἂν παραγγείλωσιν οἱ θεοί, προθύμως αὐτουργίᾳ χρώμενον περὶ ὧν οἱ θεοὶ νοοῦσί τε καὶ βούλονται καὶ ἐπιτάττουσιν," ubi eadem adparent. Cornelium Labeonem idem in libris, quorum complures titulos scimus, protulisse supra illustrabatur. Tum eadem ratione atque Cornelius Labeo Iamblichus subtiliter distinguit inter daemones bonos et malos. cf. l. c. p. 83: „τῶν δὲ ἀγαθῶν δαιμόνων τὰ σφέτερα δημιουργήματα καὶ ἀγαθά . . . τῶν δὲ ἄλλων ὁπωσοῦν πονηρῶν θηρία τινὰ βλαβερὰ . . ." tum cf. l. c. p. 282, 2—3: „ποιεῖς δὲ καὶ ἐν αὐτοῖς ἐναντίωσιν τῶν μὲν ὡς ἀγαθῶν τῶν δὲ ὡς φαύλων". Eodem modo atque Cornelius Labeo Iamblichus daemones malos, si adspiciantur, habere foeda atque turpia corpora, quae saepenumero mutent, docet. cf. l. c. p. 70 sq.: „τὰ δὲ τῶν δαιμόνων ⟨φάσματα⟩ ποικίλα . . . τὰ δὲ τῶν δαιμόνων φοβερά". Tum confer p. 72 l. c.: „. . . τὰ τῶν δαιμόνων ἰνδάλλεται ἄλλοτε ἐπ' ἄλλης ὁρώμενα μορφῆς καὶ μεγάλα καὶ μικρά . . ." Daemones praesentia sua corpora hominum morbis incommodis afficiunt. cf. p. 82: „ἡ δὲ ⟨ἐπιφανία⟩ τῶν δαιμόνων βαρεῖ μὲν τὸ σῶμα καὶ νόσοις κολάζει, . . ." tum cf. p. 72, ubi confusiones perturbationesque maximas daemones efficiunt: „ταραχὴ δὲ καὶ ἀταξία τοῖς δαιμονίοις φάσμασι συνακολουθεῖ". At boni daemones nihil nisi bona efficiunt, cum pravi daemones mala faciant. cf. p. 191, 1 sqq.: „τὸ τῶν δαιμόνων, οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν δικαίων καὶ ἀδίκων θεοῖς μὲν καὶ ἀγαθοῖς δαίμοσι ἀποδιδόναι δεῖ μόνως τὸ καλὸν καὶ δίκαιον, τὰ δὲ ἄδικα καὶ αἰσχρὰ ἀπεργάζονται οἱ φύσει πονηροὶ δαίμονες". Quibus cum placitis Iamblichi philosophi ea, quae

Cornelius Labeo de iisdem rebus docuerat, concordare negare non possumus. At longum est omnia, quae theologus ille Romanus scripserat, iterum enumerare, cum supra, ubi placita eius cum Porphyrii comparata sunt, explicata sint. Transeamus iam ad ea, quae Iamblichus de anima humana dixerat et cum Cornelii Labeonis placitis comparemus!

Animam humanam corpore mortuo daemonem non fieri Iamblichus quoque edocet, apud quem animas hominum sempiternas esse neque deleri posse audimus. cf. p. 35, 15: *ἡ ψυχή, αὐτὴ καθ' ἑαυτήν ἐστιν ἀγέννητος καὶ ἄφθαρτος . . .*" Cornelium Labeonem idem protulisse placitis ex Arnob. II 34, II 37 aliis cognoscitur. Ille quoque concentus, haud parvi faciendus est, cf. p. 67: „*καὶ τὰ πρῶτα καὶ τὰ τέλεα μέτρα τῶν ψυχῶν*" et Arnob. II 25: „anima perfecta divina . . ." Si hominum animae, quae corporibus quasi sepulcris conclusae sunt cf. Iamblichi Protrepticum p. 84, 12 ed. Pistelli: „*καὶ τὸ μὲν σῶμά ἐστιν ἡμῖν σῆμα*", corporibus mortuis ad caelum volare volunt, homines, quoad in terra versantur, omnibus cupiditatibus pravis et malis abstinere necesse est. cf. Iambl. Protept. p. 13, 8—12: „*ἡ δὲ ἀπαλλαγὴ τῶν κακῶν, ἣν ὀλίγοι καθορῶσι, προτρέπει εἰς τὴν λύσιν τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος καὶ τὴν ζωὴν τὴν καθ' ἑαυτὴν τῆς ψυχῆς, ἥντινα μελέτην θανάτου προσαγορεύομεν*". Secundum Iamblichum omnimo magis animis quam coporibus timere debemus. cf. Protrept. p. 28: „. . . *πάντα δὲ τῆς ψυχῆς ἕνεκα διατάττειν καὶ τῶν τῆς ψυχῆς ἀρχουσῶν δυνάμεων*". Quam ob rem homo vere sapiens omnia bona, quae hominibus terra praebet, pro nihilo putat neque quicquam aliud appetit nisi ut animam vinculis corporis mortalis solvat. cf. Iambl. Protrept. p. 62: „*καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις οὖν δῆλός ἐστιν ὁ φιλόσοφος ἀπολύων ὅτι μάλιστα τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῆς τοῦ σώματος κοινωνίας διαφερόντως τῶν ἄλλων ἀνθρώπων*" et ibidem: cf. p. 65, 17: *καὶ τὸ μελέτημα αὐτὸ τοῦτό ἐστι τῶν φιλοσόφων, λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος*". Namque eae animae, quae pravis foedisque cupiditatibus non abstinent, rursus in corpora humana migrare coguntur et expertes sunt gaudii aeterni, quod deus illis donat. cf. Iambl. Protrept. p. 69, 15 sqq.: „*ἐκ γὰρ τοῦ ὁμοδοξεῖν τῷ σώματι καὶ τοῖς αὐτοῖς χαίρειν ἀναγκάζεται, οἶμαι, ὁμότροπός τε καὶ ὁμότροφος*

γίγνεσθαι καὶ οἵα μηδέποτε εἰς Ἅιδου καθαρῶς ἀφικέσθαι, ἀλλ' ἀεὶ ἀναπλέα τοῦ σώματος ἐξιέναι, ὥστε ταχὺ πάλιν πίπτειν εἰς ἄλλο σῶμα καὶ ὥσπερ σπειρομένη [μὴ] ἐμφύεσθαι, καὶ ἐκ τούτων ἄμορος εἶναι τῆς τοῦ θείου τε καὶ καθαροῦ καὶ μονοειδοῦς συνουσίας". Quae tota doctrina Iamblichi optime quadrat ad ea, quae Cornelium Labeonem de anima humana docuisse scimus. cf. Arnob. II 13, 14 cf. II 62, quibus de locis supra disputatum est. Quid patiuntur animae post corporis mortem? Cornelius Labeo animas puras ad sidera corpore mortuo volare daemonibus non nocentibus et ad deum patrem in aulam dominicam redire dixerat. Locos omnes supra commemoravimus. Quae omnia congruunt cum Iamblichi doctrina, qui deum animas humanas propterea demisisse docuit, ut olim ad se redirent. cf. Iambl. de myster. p. 272,7 sqq.: „*ἀλλ' ἀπὸ τῆς πρώτης καθόδου ἐπὶ τούτῳ κατέπεμψεν ὁ θεὸς τὰς ψυχάς, ἵνα πάλιν εἰς αὐτὸν ἐπανέλθωσιν*". Tum animas corpore mortuo se coniungere cum deo et vita divina frui cognoscis ex Iambl. de myster. p. 270, 7 sqq.: „*ἀλλ' ἔστιν καὶ ἑτέρα τῆς ψυχῆς ἀρχὴ κρείττων πάσης φύσεως καὶ γεννήσεως, καθ' ἣν καὶ θεοῖς ἑνοῦσθαι δυνάμεθα*". Tum animas hominum dirui posse negatur in Iambl. Protrept. p. 15, 15 et 16: „*ἐπὶ τέλει τοίνυν πρὸς τὴν μετάστασιν τῆς ψυχῆς προτρέπει . . .* cf. v. 21: *ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός*". p. 16: „*τὸ δ' ἀπολιπεῖν τὸ σῶμα καὶ μεταστῆναι εἰς τὸ αἰθέρα, μεταλλάττειν καὶ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν εἰς τὴν τῶν θεῶν καθαρότητα καὶ ἀντὶ τοῦ θνητοῦ βίου ἀθάνατον ζωὴν προαιρεῖσθαι . . .* etc." Post mortem ad sidera animae volabunt. cf. Iambl. Protrept. p. 60, 18: „*ἐὰν δὲ τῆς οὐρανίας ὁδοῦ λαβώμεθα καὶ ἐπὶ τὸ σύννομον ἄστρον τὴν ζωὴν τὴν ἑαυτῶν ἀπερείσωμεν*". cf. Arnob. II 33. Cornelium Labeonem animas humanas post mortem non in corpora bestiarum migrare docuisse concludebatur ex silentio Arnobii, quippe qui, quamquam omnes calamitates atque res adversas animarum humanarum pertractat, illam rem omnino praetermittat. Iamblichus quoque illa fieri negat. cf. Zeller l. c. III^2 p. 710 et cf. id, quod supra de hac re disputatum est. Qua in re Iamblichus demum cum Cornelii Labeonis praeceptis concordat, cum Porphyrium discrepare Mau censeat. Quibus ex locis placita Cornelii Labeonis et Iamblichi congruere inter se

elucet. Restat, ut unum, quod per se intellegitur, quaeramus, num Iamblichus Cornelio Labeoni oracula Chaldaica, quae illum in libris condendis adhibuisse scimus, tradere potuerit. Cui rei nihil obstabat, cum Iamblichum praeter Porphyrium primum fuisse inter philosophos Neoplatonicos, qui de oraculis Chaldaicis scripserit et summa auctoritate apud recentiores fructus sit, ex verbis multorum scriptorum, quorum nonnullos Kroll l. c. in p. 7 adfert, sciamus. Tum Porphyrium iam commemorabatur primum fuisse, qui summos deos Chaldaeorum, patrem et duas mentes pro tribus dis habeat. cf. Kroll l. c. p. 6 et 14. Quod Arnobius id est illo loco Cornelius Labeo idem peccavit, eum post Porphyrium fuisse conclusimus. At quis illum theologum Romanum hanc doctrinam ex Porphyrio hausisse confirmaverit, cum Iamblichus idem docuerit. cf. Kroll l. c. p. 14 et 28 adn. 2. Quibus omnibus rebus commotus hanc seriem hominum illo saeculo fuisse putaverim: Porphyrium, Iamblichum, Cornelium Labeonem, Arnobium.

Quaeret quispiam, cur haec disquisitio facta sit. Wissowa enim l. c. capita 17—23 Saturnaliorum Macrobii redire maxima ex parte ad Iamblichum Neoplatonicum atque ad libros quosdam Cornelii Labeonis suo iure demonstravit. Quoniam Macrobii auctor homo Romanus erat, fieri non potuit, quin alterum scriptorem Latinum et Iamblichi libros et Cornelii Labeonis contaminasse Wissowa arbitraretur. Qua in re cum Wissowa Cornelium Labeonem Iamblicho maiorem natu fuisse putaret, eum libros Iamblichi inspicere non potuisse existimabat. Ille igitur vir doctissimus Marium Victorinum, qui medio quarto saeculo p. C. n. fuit, libros et Iamblichi et Cornelii Labeonis contaminavisse ratus est. cf. Wissowam l. c. p. 41. Cuius rei documentum verba nonnulla Augustini profert, cf. Aug. confess. VIII 2, ex quibus Marium Victorinum complures libros Neoplatonicorum ex Graeca lingua in Latinam convertisse concluditur. Quod pronuntiatum Augustini nihil ad rem valere nemo est, quin videat et Wissowa ipse totam rem nihil esse nisi coniecturam vagam profitetur.[1]) Quam ob rem haud difficillimum

[1]) Koffmane in p. 3 libri, qui inscribitur: De Mario Victorino. Breslau 1880: „Magis, inquit, se Aristotelis sectatorem quam Platonicorum eo prodit

erat, id quod Traube [2]) in p. 37 conatus est, Wissowae sententiae refutatae alteram coniecturam, quae ne ipsa quidem vera habenda est, supponere. Traube enim l. c. Fonteium esse auctorem censet, ex quo Macrobius doctrinam descripserit. Quae res omnibus argumentis caret. Iam vides, quo tendam. Cum Iamblichi libros iam a Cornelio Labeone, quem hominem Romanum lingua Latina scripsisse satis constat, usurpatos esse cognoverimus, inter Macrobium et Iamblichum alterum quendam ignotum scriptorem Romanum intercalare non iam opus est. Quo fit, ut omnes coniecturae, quae vel ad Marium Victorinum vel ad Fonteium pertinent, reici possint. Immo Macrobium in his capitibus Saturnaliorum conscribendis libros Cornelii Labeonis, qui ipse Iamblichi opera compilaverat, usurpavisse dicendum est. Quam ob rem Agahdii sententia, cui Bluhme l. c. adsentitur, secundum quam Arnobium et Macrobium non iam ipsos libros theologi Romani inspexisse confirmatur, reicienda est. Illos scriptores tertii et quarti saeculi hac serie inter se excipere invenimus: Iamblichum Cornelium Labeonem Macrobium. Quomodo inter se singuli coniuncti sint, ex hoc stemmate intellegitur:

Porphyrius

Iamblichus

Cornelius Labeo

Arnobius

Macrobius in capp. I 17—23 sat.

⟨Marius Victorinus⟩, quod spreta tali philosophica abundantia quali inter Neoplatonicos tunc gaudebat Firmicus Maternus in primis dialecticis quaestionibus studet". Victorinum Neoplatonicorum placitis imbutum esse Koffmane non negat cf. l. c p. 27 sq., denique in sententia sua in p. 3 prolata perseverat ratus Marium Victorinum imprimis Aristotelem secutum esse. cf. l. c. p. 29: „Nec tamen merus Platonicus est: sapit Aristotelismum non uno loco".

[2]) Traube, Varia libamenta critica. Monacii 1883.

De Cornelio Labeone Lydi auctore.

Cap. VIII.

Transgrediamur iam ad Ioannem Laurentium Lydum, cuius librum *περὶ μηνῶν* nonnulla fragmenta Cornelii Labeonis continere scimus. Sed quibus ex fontibus illam doctrinam et Iamblichi et Cornelii Labeonis hauserit, plane obscurum est. Fredericus Bluhme, quamquam nuper de hac re commentatus est, tamen non omnes tenebras caliginesque dispersit mea quidem sententia. De cuius opinione priusquam disseram, me nihil aliud nisi disputationes mythologicas, quae in Lydi libro *περὶ μηνῶν* exstant, perscrutari in animo habere commemoro, cum reliquarum partium fontes ille indagaverit. In libri allati p. 73 sq. Bluhme disputationes mythologicas libri *περὶ μηνῶν* ex Procli operibus descriptas esse sibi persuasit. Primum fontem harum omnium rerum librum quendam Iamblichi fuisse p. 68. Placita Cornelii Labeonis, quae per totas partes mythologicas dispersae invenirentur, ex conlectaneo quodam vel *περὶ μηνῶν* vel *περὶ ἑορτῶν* hausta esse p. 71. Eandem coniecturam iam ante Bluhmium Kahl l. c. p. 804 protulerat. Quis autem libros et Iamblichi et Cornelii Labeonis aut illos libros *περὶ ἑορῶν* contaminaverit, Bluhme omnino non quaerit, ac Lydum has disputationes mythologicas ex solo Proclo hausisse adseverat. Bluhme, ut hanc sententiam confirmet atque comprobet, argumenta, quae omnino non probabilia esse infra docebo, adfert primum nisus lege, quam invenit, in p. 35: „ut, cum plures auctores de uno eodemque argumento citet ⟨Lydus⟩ unumque eorum, utpote ipsi aetate proximus sit, ad verbum exscribat, non omni careat probabilitate Lydum, si quo eorum usus sit, ex hoc recentissimo hausisse reliquorum omnium nomina". Secundum hanc legem Proclum eum esse censet auctorem, qui Lydo aetate proximus sit et ab eo plurimi aestimetur. Tum in sententia sua perseverat, quod nomen Procli duobus locis Lydianis occurrit, ubi libri philosophi Neoplatonici ad verbum exscripti sunt, ut et Procli et Lydi verba congruant. cf. Lydi *περὶ μηνῶν* p. 128, 3 W et 171, 8 W, quibus locis Wuensch in adnotatione locos Proclianos

adscribit. Quae cum ita sint, Procli nomen apud Lydum non apparet nisi in nonnullis disputationibus mythologicis, cum in aliis omnino non commemoretur, ut exemplum afferam, in capitibus de Iano deo cf. p. 63 sqq. W. non adferuntur nisi maxima ex parte auctores Latini, ut solae eae partes libri Lydiani, ubi Proclus nominatim adfertur, huic philosopho Neoplatonico vindicari possint, si legem Bluhmii supra allatam accurate observamus. At Bluhme longius procedit ratus etiam libros Procli, ex quibus Lydus doctrinam rerum mythologicarum hausisset, nominari posse. cf. Bluhme l. c. p. 74: „Et mirum quantum huic opinioni convenit, quod Proclum in his disputationibus explicandis versatum esse non modo illi Lydi loci, sed tituli quoque similis indolis librorum, veluti *στοιχείωσις θεολογική* vel *ἐπιχειρήματα ιη' κατὰ Χριστιανῶν* vel *περὶ τῆς κατὰ Πλάτωνα θεολογίας* testantur". Tum in amplissimis Procli commentariis Lydum permulta invenire potuisse Bluhme censet. At utut res se habet, mihi quidem valde dubia videtur esse. Namque Bluhme cum Lydum fontes ad verbum compilare ostenderit atque locos congruentes tabulis in p. 30 sqq., 49 sqq., 54 sqq., 69 sq., 97 sqq., 109 sqq. compositis adferat, quod attinet ad Proclum ne unum quidem locum, quo Lydi verba Procli similia sunt, attulit exceptis illis locis, ubi Procli nomen citatur. Si Bluhmii opinio recte stat, haud difficile factu erat mea quidem sententia, illos locos illustrare, cum Lydus saepenumero longas disputationes ad verbum et ex libris Porphyrii et Iamblichi excerpat, quos omnes ex Procli scriptis fluxisse Bluhme contra Traubium l. c. et contra Börtzlerum l. c. p. 40 sq. contendit. Namque Lydum Porphyrii et Iamblichi verba non minus saepe quam Procli adferre ex p. 69, 23 W., 93, 7 W., p. 175, 10 W. et ex p. 71, 7 W., 138, 24 W., 168, 4 W. libri *περὶ μηνῶν* cognoscitur. Neque illi loci Lydiani inveniuntur in Procli libris, quia opera Procli a Bluhmio supra allata longe alia indole sunt. Ceterum ad Procli libros infra redibimus, ubi de auctoribus a Proclo adhibitis verba fient. Neque tam simpliciter quam Bluhme sibi persuasit, res se habent. Immo Lydum complures fontes, ut commentationes mythologicas componeret, usurpavisse et compilavisse confirmaverim. Quae ut contendam,

his argumentis commoveor. Namque in singulis disputationibus mythologicis, si quomodo compositae sint, accurate spectamus, magnae differentiae intelleguntur. In aliis permulti auctores nominatim adferuntur, neque cuiusquam verba exscribuntur, sed solae eorum sententiae explicantur, cf. ea, quae de Iano deo dicta sunt, in p. 63 sqq. W., in aliis saepissime pronuntiata Porphyrii, Iamblichi, Procli, Hermetis, Iualiani verbotenus exscribuntur. Quin etiam semel fit, ut tota disputatio ex Porphyrio hausta sit auctore non nominato, cf. Lyd. *περὶ μηνῶν* p. 162,14 sqq. W. Ad haec cf. Traube l. c. p. 31, ut secundum legem, quam Bluhme l. c. p. 32 sancit: „ut Lydus ipsorum fontium nomina constanter reticuerit atque omnium fere eorum quos in fontibus suis nominatos reppererat scriptorum nomina attulerit", hic Porphyrium ipsum Lydi fontem esse censendum sit. Accedit, quod Lydus ipse in legem Bluhmii p. 35 supra allatam peccare videtur, cum in disputationibus mythologicis saepenumero auctores et eorum verba non cum Procli consociata appareant, cf. Iamblichum in p. 69, 32 W. Porphyrium in p. 164, 4 W. Plotinum in p. 95, 27 W. Platonem in p. 108, 4 W. Ptolemaeum in p. 94, 14 W. Nicomachum in p. 120, 8 W., id quod Bluhme ipse l. c. in p. 33 confitetur. Quibus ex auctoribus Lydum non Platonem aut Ptolemaeum illis locis ipsum inspexisse vel inde verisimile fit, quod verba eius, cum alioquin accuratissime exscribat, id quod Bluhme ostendit, hic non cum verbis Platonis et Ptolemaei consentiunt, id quod Wuensch illis locis adnotavit. cf. Ptolemaeum in p. 94, 14: „Ptolemaei eadem verba in Harmonicis non leguntur, similia saepe e. g. II 9 ed Wallis". Maxime in Platonis verbis in p. 108, 4 W. allatis dilucidum fit, Lydus dicit: „*γῆ μὲν τὸ σφαιρικὸν εἶδος*" cum Platonis verba in Tim. p. 55 D re vera sint: „*γῆ μὲν δὴ τὸ κυβικὸν εἶδος δῶμεν*". Maiores difficultates locus, ubi Nicomachus (p. 120, 8 W.) adfertur, praebet. At Lydo libros Nicomachi in manibus fuisse negaverim, cum illud pronuntiatum in disputationem insertum sit, quam in Iamblichum, quem Nicomachi operibus enixe operam navavisse vel ex titulo librorum eius elucet, redire pro certo affirmaverim. Namque eum, qui hic de Hercule disputat, unam aut complures statuas filii Iovis atque Alcumenae ante oculos


habuisse ex tota disputatione intellegitur. cf. verba in p. 120, 14 sqq.: *τρία δὲ αὐτῷ μῆλα ἐν τῇ λαιᾷ ταῖν χεροῖν . . .*" Qua in manu Hercules mala habuerit utrum in dextra an sinistra nihil ad rem valet. Tum fabulis de vita Iovis filii enarratis subito pergit auctor: „*ὁ δὲ στέφανος τελειότητος δεῖγμά ἐστιν*". Quid haec verba sibi volunt? Nisi hoc quoque loco auctorem de simulacro quodam Herculis cogitavisse credas, cum haud ita saepe fiat, ut Herculis statua coronata sit. Supra de malis, quae heros in manu habebat, hic de corona verba fiunt, quae est in statuae capite. Talia simulacra, qualia hic descripta videmus, fuisse ex eis quae Furtwängler affert (in Roscheri Lexico I col. 2180 et 2185) cognoscis. Videmus igitur totam descriptionem ad simulacrum Herculis adaptatam esse, ut Iamblicho, ad quem ultimum fontem has disputationes redire Bluhme l. c. in p. 68 putat, hanc partem vindicandam esse concludere cogamur. Accedit, quod Iamblichum libros Nicomachi diligenter legisse atque interpretatum esse scimus. Quam ob rem haec quoque verba Nicomachi ex Iamblicho exscripta esse putaverim. Restant igitur Porphyrius, Iamplichus, Plotinus, qui legi a Bluhmio constitutae obstant. At licet hae difficultates non inveniantur, altera oritur, quod Porphyrii placita aliis quoque locis libri Lydiani inveniuntur. cf. p. 162, 14 W. quae iam supra commemorata est. Bis Lydus Porphyrium exscribit et pro eo Plutarchi nomen adfert, id quod Börtzler l. c. in p. 60 sq. suo iure admonuit. Iam vero, si Bluhmii sententiae adsentimur, nonnullos locos, quibus Lydus Porphyrii aliquam sententiam profert, ad verbum congruere cum Eusebio mirum est. cf.

Lyd. *π. μηνῶν* p. 135, 19 W. — Porphyr ap. Euseb. praep. ev. III 11, 23.

Lyd. *π. μηνῶν* p. 139, 2—5 W. — Porphyr ap. Euseb. praep. ev. III 11, 7.

Quae res propterea suspicionem movet, quod secundum Bluhmii sententiam Lydo cum Eusebio res non est et nihilo setius uterque eadem profert. Proclum Porphyrii praecepta ex Eusebio hausisse credere cogimur, id quod per se veri simile non est. Itaque Börtzleri sententiam haud ita facile reiciendam

esse puto, qua Lydum ipsum Eusebium inspexisse dicit. cf. Börtzler l. c. p. 61 sq. et p. 66. Bluhme Börtzleri opinionem ob eam causam solam refutat, quod nomina Cincii et Numenii apud Eusebium non leguntur. Qua in re Bluhmium Lydum ipsum fonti suo quidquam inserere negare memoria tenendum est. Sed cum Bluhme nomina illorum auctorum in Procli libris inveniri non probaverit, haec quoque res dubia est. Equidem illos auctores et Numenium et Cincium iam in Cornelii Labeonis libris fuisse putaverim nam, ut exemplum afferam, Arnobius III 39 Cincium commemorat. Nomine Cornelii Labeonis allato quaestionem tetigimus, ad quam Bluhme, quamquam eam solvere conatus est, non recte mea quidem sententia respondit. Ipse quidem in disputationibus mythologicis tantopere rerum sacrarum et deorum Romanorum mentionem fieri concedit, ut Lydum Romanum quendam scriptorem adhibuisse credere cogamur. Illum Cornelium Labeonem, cuius nomen nonnunquam a Lydo nominari supra demonstratum est, esse recte ostendit. Nihilo minus Bluhme Kahlio l. c. p. 804 adsentitur rato Lydum doctrinam rerum mythologicarum Romanarum ex conlectaneo quodam *περὶ μηνῶν* vel *περὶ ἑορτῶν* hausisse. cf. Bluhme l. c. p. 71. At Bluhme ab opinione Kahlii recedit, quod Lydum ipsum libros *περὶ μηνῶν* vel *περὶ ἑορτῶν* inspexisse negat potius omnia ex Procli libris fluxisse censet. Secundum Bluhmii igitur sententiam hoc stemma rectum esse putare cogimur:



Praeter multas dubitationes, quas hoc stemmate moveri supra demonstratum est, duae novae quaestiones oriuntur, ad quas Bluhme non respondit. Namque si Lydo omnis doctrina, quae in disputationibus mythologicis invenitur, per Proclum solum tradita est, nomina quoque eorum, qui *περὶ ἑορτῶν* vel *περὶ μηνῶν* libros condiderunt, in Procli libris apparere necesse est. At in commentariis huius philosophi Neoplatonici ne unum quidem nomen neque Anysii neque Elpidiani neque Manethonis neque Phlegontis neque Praetextati invenitur.[1]) Huc accedit, quod Proclum libris condendis conlectanea ut *περὶ μηνῶν* vel *περὶ ἑορτῶν* adhibuisse veri simile non est. Gravissimum autem argumentum, quod Bluhmii sententiam reicere nos cogit, est, quod et Macrobius et Lydus ex eodem fonte videntur hausisse, quoniam saepenumero ad verbum fere consentiunt. Locos Bluhme l. c. in p. 66 sqq. in complures tabulas rettulit, et suo iure Lydum et Macrobium ex eodem ultimo fonte haurire sibi persuasit. At discrepantiae quoque tantae inter utrumque scriptorem occurunt, ut uterque ex singulari fonte proximo hauserit. At de his rebus infra disputandum est, nunc Macrobium non iam Cornelium Labeonem ipsum exscripsisse Bluhmium quoque credere dicendum est. Item res apud Lydum se habet. Iam vide, quantae discrepantiae inter utrumque auctorem inveniantur. Apud Lydum permulta pronuntiata et Porphyrii et Iamblichi ad verbum exscripta exstant, cum apud Macrobium in sat. capp. I 17—23 ne unum quidem occurrat. Semel in satur. I 17, 70 Porphyrii sententia nomine auctoris allato explicatur. Proclum igitur apud Lydum addidisse verba directa, ut dici solet, oratione scripta censendum est. Vix credibile! Forsitan ii, qui illa conlectanea *περὶ μηνῶν* vel *περὶ ἑορτῶν* condiderunt, illas partes inseruerint. Ne hoc quidem mihi probabile videtur esse, cum concentum, qui est inter Lydum et Eusebium, cognoverimus. Immo Lydum non tam stupidum fuisse, ut unum eundemque scriptorem compilaret, potius saepenumero ex illis

---

[1]) cf. Procli Diadochi in Platonis rem publ. Commentarios ed. Kroll. Leipzig 1901. et Procli Diadochi in Platonis Timaeum Commentaria ed. Diehl. Leipzig 1906.

philosophis Neoplatonicis fontem suum auxisse censendum est. Si hac in re sententiam meam probas, restat, ut demonstretur, cur in iis partibus, in quibus enuntiata directa oratione exscriptae absunt, Macrobius atque Lydus dissentiant. Lydus saepenumero plura quam Macrobius exhibet, id quod Bluhme l. c. p. 70 sqq. suo iure admonuit. Qua in re haec memoria tenenda sunt. Macrobius, ut supra demonstratum est, Cornelii Labeonis libros ipse inspexit, Lydo non iam libri huius theologi Romani in manibus fuerunt, atque inter Cornelium Labeonem et Lydum alii auctores intercalandi sunt. Hoc loco me cum Bluhmio rato Cornelium Labeonem et Iamplichum Lydo separatim traditos esse non consentire commemoro. Ut illos scriptores, qui inter Cornelium Labeonem et Lydum scripserant, invenire possimus, Lydus ipse nobis ansam praebet. Cum Lydum utique eos auctores, qui ei proximi aetate sunt, exscribere viderimus, iam de Praetextato, qui in libro *περὶ μηνῶν* in p. 65, 20 W. occurrit: „*ὁ δὲ Πραιτέξτατος ὁ ἱεροφάντης, ὁ Σωπάτρῳ τε τῷ τελεστῇ καὶ Κωνσταντίνῳ τῷ αὐτοκράτωρι συλλαβὼν ἐπὶ τῷ πολισμῷ τῆς εὐδαίμονος ταύτης πόλεως* …“, disputandum est. Primum quaestio oritur, quis ille Praetextatus fuerit.

De Praetextato.

Vettium Agorium quendam Praetextatum hominem spectatum atque inlustrem circa annum p. C. n. 350 fuisse ex iis quae Seeck in editione Symmachi congessit in p. LXXXIII sqq., facillime cognosces, ubi omnia, quae ad hunc hominem Romanum pertinent, collegit, quae hic repetere longum est. Ex illis inscriptionibus Vettium Agorium Praetextatum anno p. C. n. 384 diem supremum obisse cognoscitur, postquam per quadraginta annos cum uxore, cui nomen Fabia Paulina erat, matrimonio coniunctus est. Quibus ex verbis inscriptionis virum aliquantum ante annum p. C. n. 330 natum esse Seeck suo iure concludit. Hac autem conclusione facta annum, quo Vettius Agorius natus est, recte significatum esse nemo dixerit, cum quot annos natus Praetextatus Paulinam uxorem duxerit, nesciamus. Tota igitur

res valde dubia est. Praeterea inscriptiones Praetextatum hominem litteris eruditum atque religioni veteri faventem fuisse nos docent. Quae vel inde cognoscuntur, quod apud Macrobium in libris saturnaliorum in numero eorum, qui inter se colloquuntur, nomen eius apparet. Tum ex inscriptionibus, quas Seeck l. c. adfert, eum permultis sacerdotiis functum esse intellegitur, — ut exemplum afferam, hierophanta appellatur. Ad hanc quaestionem magni momenti est, quod eum libris et Graecorum et Romanorum enixe operam navavisse et editiones permultorum librorum curavisse audimus, id quod ex his verbis dilucidum fit. cf. Seeck l. c. p. LXXXIV.

„tu namque quidquid lingua utraque est proditum
cura soforum, porta quis caeli patet,
vel quae periti condidere carmina
vel quae solutis vocibus sunt edita
meliora reddis quam legendo sumpseras.“

Quos versus mea quidem sententia Seeck ita interpretatus est, et nihil iam de iis dicendum sit, p. LXXXVI sq. Virum eiusmodi, qui tantopere religioni veteri favebat, ut libros philosophorum et theologorum ab interitu servare studeret, apud imperatorem, qui fidem christianorum utique praeferebat, summos honores adipisci non potuisse per se intellegitur. cf. Seeck l. c. p. LXXXVII. Vitam huius viri propterea enarravi, quod hunc Praetextatum eundem esse confirmaverim atque quem Lydus l. c. commemorat. Idem apud Lydum altero loco eiusdem libri profertur in p. 139, 5 W., ubi Lydus hierophantam Vestam nihil aliud nisi terram esse dixisse admonet. At ex priore loco p. 65, 20 W. *περὶ μηνῶν* Praetextatum Lydianum Iamblichi discipulum fuisse elucet; ubi Lydus Praetextatum Ianum deum *δύναμιν* fuisse, quae in sideribus certis constituta esset, censuisse adseverat. *Δύναμις* hic nihil aliud nisi daemonem significare potest, quia Lydus pergit loqui hanc potestatem ⟨*δύναμιν*⟩ animas mortuorum hominum ad lunariam regionem ducere. Atqui inter philosophos Neoplatonicos Iamblichus primus est, qui daemones non regnare nisi in certis regionibus contendit. cf. Iamblichi de mysteriis p. 63: „*οἱ δὲ τὴν δαιμονίαν ἐπιστασίαν*


διαλαχόντες, μοίρας τινὰς μεριστὰς τοῦ κόσμου κατατεινάμενοι, ταύτας κατευθύνουσιν, ἔχουσί τε καὶ αὐτοί . . .“ Habemus igitur in nova urbe condenda duos discipulos Iamblichi, qui imperatorem adiuvant. Quos in hac re non easdem partes egisse vel ex Lydi verbis: „*ὁ δὲ Πραιτέξτατος ὁ ἱεροφάντης, ὁ Σωπάτρῳ τε τῷ τελεστῇ καὶ Κωνσταντίνῳ τῷ αὐτοκράτωρι συλλαβών . . .*“ elucet. Ii, qui urbem condiderunt, fuerunt Sopater et Constantinus, cum Praetextatum secundas partes egisse vel ex verbo *συλλαμβάνειν* intellegatur, ut nihil obstet, quin eum discipulum Sopatri fuisse credamus, praesertim cum eum placitis Iamblichi imbutum esse viderimus. Si res ita se habet, Praetextatum illo tempore ⟨annis p. C. n. 326—28 Constantinopolis urbs condita est⟩ adulescentem admodum fuisse quin credamus nihil impedit. Quam ob rem illum Praetextatum Lydianum eundem esse puto atque quem Seeck l. c. adfert. At si hoc rectum est, restat una dubitatio. Illum Vettium Agorium Praetextatum imperatoris Constantini et filii eius in odium venisse audimus; quomodo quadrat hoc ad Praetextatum Lydianum, qui Constantinum imperatorem in nova urbe Constantinopoli condenda adiuvisse dicitur? Cur ille Praetextatus tam sero honores publicos adeptus est? Cuius rei hoc argumentum profero. Sopater, qui Iamblichi discipulus erat, paulo post novam urbem conditam imperatori Constantino suspicioni erat, quin etiam eo venit, ut iussu imperatoris irati supplicio afficeretur. cf. Zeller l. c. III² p. 728. Quemadmodum igitur fieri potuit, ut ille homo, qui fortasse Sopatrum magistrum secutus Constantinopolim venerat, et placitis Neoplatonicorum imbutus erat, non in odium imperatoris veniret? Quare omnibus magistratibus, quos ceteri nobiles adulescentes administrare solebant, imperatoribus Constantino et Constantio filio, qui non minus quam pater religioni christianorum favebat, privatus erat. Iuliano demum imperatore, qui antiquam religionem nationum, quamquam in dies evanescebat, renovare conatus est, Praetextatus, quem eidem rei atque imperatorem studere vidimus, honoribus affectus est. cf. Seeck l. c. p. LXXXVII. Quam ob rem illum Vettium Agorium Praetextatum eundem esse putaverim atque qui apud Lydum invenitur, cum alterum hominem eius nominis

illa aetate fuisse veri simile non sit neque Seeckio teste alter illis temporibus, cui cognomen erat Praetextatus, fuerit. cf. Seeck. l. c. p. LXXXVI: „quod in summis eius temporis magistratibus alioquin non inveni“.

Hic igitur homo Romanus inter Lydum et Cornelium Labeonem interponendus est. Quoniam Cornelium Labeonem de fastis librum composuisse supra demonstratum est, facile fieri potuit, ut illa quoque conlectanea *περὶ μηνῶν* vel *περὶ ἑορτῶν*, quorum complures Lydus in libro *περὶ μηνῶν* adfert, ex Cornelio Labeone permagnam partem doctrinae descripserint. In uno quidem haec mea quidem sententia dilucide cognosci possunt, Anysium dico, cuius nomen Lydus in p. 83, 5 sqq. W. de mens. adfert: „*Ἀνύσιος δὲ ἐν τῷ περὶ μηνῶν Φεβροῦον τὸν καταχθόνιον εἶναι τῇ Θούσκων φωνῇ λέγει, θεραπεύεσθαι δὲ πρὸς τῶν Λουπερκῶν ὑπὲρ ἐπιδόσεως τῶν καρπῶν.*“ Anysios complures novimus, quos Seeck (Pauly-Wissowa I 2654) adfert. Anysius, quem Lydus hic adfert, disciplinae Etruscorum doctrinam venditat, quam ex Cornelii Labeonis libris haustam esse propterea veri simile fit, quod theologus ille Romanus huic disciplinae maxime operam dedit, idquod supra demonstratum est. De ceteris conlectaneorum auctoribus non multum cognovimus. Memoratu dignum est, quod Elpidianus quoque auctore Romano ex parte, quantum ex tam brevi enuntiato cognosci licet, usus videtur, cum Sabinorum linguam commemoret. cf. Lyd. de mens. p. 68, 16 sqq. W.: „*ὁ δὲ Ἐλπιδιανὸς ἐν τῷ περὶ ἑορτῶν στρήναν τὴν ὑγείαν τῇ Σαβίνων φωνῇ λέγεσθαί φησι, δι' ἣν φύλλα δάφνης ἐπεδίδοτο τοῖς ἄρχουσι παρὰ τοῦ δήμου τῇ πρώτῃ τοῦ Ἰανουαρίου μηνός*“. Quorum auctorum opera Lydus excerpsisse videtur et ex iis Cornelii Labeonis placita hausta esse dicendum est. Eorum placitis enuntiata Porphyrii et Iamblichi et Procli directa oratione exscripta inseruit. Neque enim Lydum unum solum auctorem in disputationibus condendis mythologicis compilare putare licet. Itaque Dielsii illud Doxogr. in p. 27 haud perperam iudicatum est, cum Lydus ipse, quomodo libros composuerit, in p. 18, 6 W. *περὶ μηνῶν* confiteatur hisce verbis: „. . . *ὅσα γε ἡμεῖς ἐκ τῶν Ῥωμαϊκῶν ἱστοριῶν παρειλήφαμεν*“. Quod si memoria

tenemus, facile intellegi potest, cur Lydus saepenumero easdem res iterum enarraverit.

Denique quomodo in disputationibus mythologicis condendis Lydus auctores adhibuerit, hoc stemmate circumscribere conabor:



De Cornelio Labeone Servii auctore.

Cap. IX.

Ut Ionannes Laurentius Lydus Cornelii Labeonis opera non iam ipse inspexit, ita Servio [1]) quoque et eius interpolatoribus doctrina theologi Romani ab aliis auctoribus compilata excerptaque tradita est. At Labeonis libros in Vergilii com-

[1]) Me in hac quaestione ad Servii commentarios pertinente non distincturum esse inter Servium vel eius interpolatores commemoro. Cum sub Servii nomine, quem exeunte IV p. C. n. saeculo Vergilii carmina interpretatum esse constat, vasta atque confusa moles doctrinae, quae redit ad varios auctores, quorum ex parte plane ignoramus nomina, servata sit, distinguere inter Servium, cuius nihil fere nisi nomen scimus, vel eius interpolatores qui dicuntur operae pretium esse non videtur.

mentariis, quos Servianos dicere solemus, adhibitos esse, ut credas compluribus argumentis commoveris, quae refutari nequeunt. In Servii enim commentariis Cornelii Labeonis placita saepius quam primo obtutu videtur indita esse, Wissowae disputatione demonstratur, qua quomodo doctrina de penatibus Romanis apud Arnobium, Macrobrium, Servium tradita sit ostenditur. cf. Herm. XXII. Qua in disputatione Wissowa de his locis Servianis ad Aen. I 378, II 296, II 325, III 119, III 148 verbis factis hanc omnem doctrinam Servianam solo ex Cornelio Labeone, cuius nomen in initio interpretationis ad Aen. I 378 adfertur: „Nam alii ut Nigidius et Labeo deos penates . .“ haustam esse cum Kettnero consentit. Omnes reliquos auctores ut Nigidios, Varrones, Hyginos alios, quorum nomina apud Arnobium et Macrobium et Servium leguntur, a Cornelio Labeone adhibitos et exscriptos esse constat. Memoratu dignum puto illud Wissowae in p. 37 l. c.: „endlich werden aber auch diejenigen Abschnitte, die sich nur in einem der drei Excerpte vorfinden, schon durch den engen Zusammenhang, in dem sie mit der übrigen Darstellung stehen, ebenfalls auf die Hauptquelle zurückgeführt; bei der Arbeitsweise der in Rede stehenden Kompilatoren ist die Annahme, daß sie selbständig den Bericht des Labeo durch Heranziehung anderer Gewährsmänner erweitert hätten, so gut wie ausgeschlossen“, propterea quod compilatores, qui inter Labeonem et Servium intercalandi sunt — quot et qui sint, dici omnino nequit — nihil aliud fecisse existimo, nisi ea, quae apud unum eundemque auctorem — id est Labeonem — invenerunt, aut verbotenus aut mutilata descripserunt. De Penatibus igitur Labeo a Servio adhibitus est. Huc accedit alter locus, ex quo Servium Cornelii Labeonis libros usurpavisse intellegitur. cf. Serv. ad Aen. III 168, ubi Labeonis nomen adfertur: „ut deos penates quasi Troianos intellegas, et ad ritum referri, de quo dicit Labeo in libris qui appellantur de diis animalibus: in quibus ait, esse quaedam sacra, quibus animae humanae vertantur in deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant“. Quo cum contextu verborum supra id, quod

Arnobius adv. gent. II 62 profert, coniunctum est.[1]) Quibus ex locis Cornelium Labeonem libris Acherunticis in operibus condendis usum esse intellegimus. Tum eum Etrusca disciplina imbutum fuisse Wissowa ex iis, quae de Penatibus scripserat, l. c. p. 37 suo iure conclusit: „einerseits aus der Einmischung der Theorien über die etruskischen Penaten". Denique Fulgentio[2]) cum dicit: „Labeo, qui disciplinas Etruscas Tagetis et Bacitidis quindecim voluminibus explanavit", ne omnis quidem fides abrogari potest, id quod Wissowa vult in Encyclopaedia IV p. 1354 et II p. 2723, quo altero loco: „gewiß, inquit, ein Schwindelzitat, dem vielleicht der Gedanke an Bakis zugrunde liegt". Utut res se habent, equidem Fulgentio aliquam fidem haberi posse existimaverim. Certe, numerum quindecim voluminum vix rectum esse mihi concedendum est, forsitan Fulgentius de titulo librorum Tagetis et Bacitidis[1]) erraverit, id quod Wissowa l. c. contendit, at Fulgentium non errare dicentem Cornelium Labeonem Etruscae disciplinae operam navavisse mea quidem sententia tenendum est. Quod ita esse ex Arnobiano loco II 62 cognoscitur. Equidem igitur nihil nisi Cornelium Labeonem toti Etruscae disciplinae studuisse contextu verborum Fulgentianorum dici confirmaverim. Quae studia utrum in opere, qui inscribebatur: de diis animalibus, an in

[1]) Labeonem propter hos locos scriptorem ad decipiendum paratum appellare, id quod Schmeisser in p. 19 libri, qui inscribitur: die Etruskische Disziplin vom Bundesgenossenkriege bis zum Untergang des Heidentums, Liegnitz 1881, probat, omnino non licet. Schmeisser enim Arnobii verba perperam interpretatus l. c. „Labeo, inquit, aber, der neuplatonische Dämonologe, knüpfte daran die Idee, daß die anima des betreffenden Tieres selbst göttlich würde und folgerte daraus seine Lehre von den dii animales, die er in den Acherontischen Büchern gefunden haben wollte". Quem Schmeisseri errorem Kahl quoque l. c. in p. 785 adn. 164 vituperat, quocum consentio.

[2]) cf. Fulgentius, de serm. ant. p. 112, 11 Helm.

[1]) Quod attinet ad „Bacitidis" vocem, Wissowa l. c. haud perperam cogitavisse videtur, ratus ea nos admoneri de Bacide, id quod ex diversis scripturis codicum manu scriptorum apparet. Quam ob rem reicienda est Mülleri coniectura in p. 31 II. vol. libri cui titulus est: die Etrusker, rati „Bacitidis" esse genetivum Graecum vocis Romanae „Begoes", quam libros de Etrusca disciplina composuisse Servius ad Aen. VI 72 docet.

altero libro fuerint scripta dubitari potest. At si cum scribebat de diis animalibus hanc rem tractabat, tamen eum de tota re non disseruisse nisi obiter, quia Arnobius l. c. haud ita multa verba facit, putare non licet, immo diligentissime, ut eum in ceteris quoque studiis versari solere vidimus, libros Etruscorum videtur esse perscrutatus. Cuius rei hoc argumentum verbis addubitatis Fulgentii omnino omissis profero. Hunc theologum Romanum in disserendo de diis Penatibus libros Nigidii inspexisse paulo supra commemoratum est. Quam Nigidii doctrinam magna ex parte ex eius de diis libris, quos plus viginti fuisse scimus cf. Macrob. sat. III 4, 6, eum hausisse certum est. Quo in opere Nigidium de Etruscis locutum esse Arnobius III 40 dicit: „idem ⟨Nigidius Figulus⟩ rursus in libro sexto exponit et decimo disciplinas Etruscas sequens", quem locum Arnobianum ad Cornelium Labeonem referendum esse Kettner et Kahl l. c. admonuerunt. Libros quoque Caesii, quem de Etrusca disciplina scripsisse idem locus Arnobii docet: „Caesius et ipse eas ⟨id est: Etruscas disciplinas⟩ sequens", Labeo adhibuit. Quod attinet ad Fulgentii verba, forsitan haud omnino abicienda sint, si Cornelium Labeonem inspexisse reminiscimur libros Acheronticos, quos a Tagete conscriptos esse ex Serv. ad Aen. VIII 398 cognoscitur. Huc accedit alterum argumentum. Arnobium in II 62 invehi vidimus in Cornelium Labeonem, qui libros Acheronticos Etruscorum adhibuit. Neque Etruscorum apologeta in sequentibus obliviscitur: „caedat licet hostias quantaslibet Etruria". Tum in cap. 69 haec verba facit: „antequam Tages Tuscus oras contingeret luminis, quisquam hominum sciebat aut esse noscendum condiscendumque curabat, an fulminum casibus aut extorum aliquid significaretur in venis? Quando siderum motus aut ratio coepta est genethliaca sciri?" Nonne haec verba ex eodem auctore sumpta sunt atque ex quo supra allata descripta sunt? Equidem putaverim. Arnobii verba, quae de genethlialogia facit, omnino mira non sunt, cum nos de Chaldaeis admoneant, quorum placita ab Etrusca disciplina probata receptaque sunt. cf. Schmeisser l. c. p. 24.

Ut paucis verbis ea, quae inveni, repetam: Cornelius Labeo enixe operam navavit Etruscae disciplinae, inspexit Tagetis

opera, id est inspexit libros haruspicinae, et fulgurales et sacra Acherontica cf. Serv. ad Aen. VIII 398. Cum res ita se habeant, secundum id quod supra de interpolatorum et compilatorum studiis dictum est, omnes locos Servianos, in quibus frustula Etruscae disciplinae apparent, redire veri simile est ad Cornelium Labeonem, quem ab Servio adhibitum atque nominatum vidimus, cum illos interpolatores alia vetustiora opera evolvisse parum veri simile sit, potius eos libros huius theologi Romani, qui solus, cum cultus deorum antiquorum evanesceret, his rebus remotis studeret, exscripsisse putandum est.

Iam omnes illos locos Servianos colligamus, qui coniuncti videntur esse cum iis, quos ad Cornelium Labeonem redire inter omnes constat! Apud Arnob. II 62 Labeo de hostiis animalibus loquitur, item apud Serv. ad Aen. III 168. Certo igitur animali sacrificato cf. Arnob. l. c. „certorum animalium sanguine" anima humana deus fit. Quae sacrificia vocantur hostiae animales et Servius de iis his locis loquitur ad Aen. II 119: „videtur sane peritia iuris pontificalis animalis hostiae mentionem fecisse, cum dicit animaque litandum Argolica; nam et animam dixit, et „litare" verbo pontificali usus est, id est sacrificiis deos placare." Quo ex contextu verborum nihil aliud intellegitur, nisi Servium distinguere inter hostias animales et alias hostias, idem elucet ex Serv. ad Aen. III 231: „sane sciendum iterationem hanc fieri secundum ritum sacrorum; nam displicuisse prima ex prodigiis indicatur, sunt autem haec animales hostiae, quae tantum immolantur et caro sacerdotibus proficit." Diversa hostiarum genera Serv. ad. Aen. IV 56 docet: „duo enim genera hostiarum sunt: unum, in quo voluntas dei per exta exquiritur" — unde Etruscos non immolare cognoscitur nisi ut ex visceribus voluntas deorum appareat — „alterum, in quo sola anima deo sacratur: unde etiam aruspices animales hostias appellant, sed de exploranda voluntate divina hic expressit dicendo: spirantia consulit exta animalis vero hostiae speciem ostendit ubi Entellum facit Eryci taurum mactantem dicens . . ." Quo cum loco fortasse coniungenda sunt haec verba Servii ad Aen. IV 518: „Solent enim et resolutoria sacrificia ab aruspicibus fieri et ad Junonis

Lucinae sacra non licet accedere nisi solutis nodis," quae nos de Etrusca disciplina admonere K. O. Müller l. c. II 181 censet, qui de hac re disserit.[1]) Neque his contenti esse debemus, sed etiam discimus, cur hostiae animales fiant, his locis: Serv. ad Aen. VIII 398: „Sed sciendum secundum aruspicinae libros et sacra Acheruntia, quae Tages composuisse dicitur,[2]) fata decem annis quadam ratione differri, sed hanc imminentium malorum dilationem Etrusci libri primo loco a Jove dicunt posse impetrari post a fatis: unde et hic ait nec pater omnipotens nec fata vetabant." Quos omnes locos ex Cornelio Labeone fluxisse mihi probabile videtur; at num Serv. ad Aen. VII 776 verba: „quamquam possit etiam ad illud referri, quod dicunt quibusdam artibus posse hominum vitam ultra fata protendi, ita tamen, ut solam habeant vitae imaginationem, videntur enim omnia facere nec faciunt" ad Cornelium Labeonem redeant dubitari potest, cum mutilata esse videantur. Equidem nescio, quid sibi velint verba: ita tamen e. q. s. Accedit, quod dubium esse potest, num hic locus Etruscae disciplinae assignandus sit, cum vox „artium" forsitan ad magos illius temporis referenda sit. Denique de hostiis animalibus apud Serv. ad Aen. V 483: „Meliorem aptiorem: nam animalem hostiam dat" verba fiunt, quae ex Etrusca disciplina sumpta esse K. O. Müller l. c. II 181 demonstrat. Namque in hostiis animalibus vita animalis, quod mactabatur, anima melior nominabatur. Quos omnes locos inter se cohaerere cognoscimus, ut Servio opus hac omnes res continens in manibus fuisse conicere liceat. Quod opus Cornelii Labeonis erat.

Iam ii loci, quibus libri rituales et fulgurales et haruspicini apparent, mihi tractandi sunt. At commentatores haud ita subtiliter distinguere inter singula genera disciplinae memoria teneas, sed ea Etruscam disciplinam vel libros reconditos dicere satis habebant. cf. Serv. ad Aen. I 398 et II 649 de quibus locis infra dicam. Cornelium Labeonem Tagetis libros nosse scimus, haud enim dubium est, quin haec verba Servii ad Aen. I 2:

---

[1]) Forsitan locutio «resolutoria sacrificia» ex Graeca lingua versa sit.
[2]) ad haec confer Arnob. II 62, 69.

„Sane non otiose fato profugum dicit Aeneam, verum ex disciplina Etruscorum, est enim in libro, qui inscribitur litterae iuris Etruriae, scriptum vocibus Tagae, eum, qui genus a periuris duceret, fato extorrem et profugum esse debere," Labeoni vindicanda sint, ex quibus Servium Tagetis scripta appellare Etruscam disciplinam elucet. Alter locus, quem ex Labeone haustum esse pro certo confirmaverim, est apud Serv. ad Aen. VI 72: „qui libri in templo Apollinis servabantur, nec ipsi tantum, sed et Marciorum et Begoes mymphae, quae artem scripserat fulguritarum apud Tuscos: unde addidit modo: tuas artes arcanaque fata." Cum Begoam de fulguratura scripsisse nuper audiverimus, certe ex silentio conclusionem facere possumus Labeonem libros quoque fulgurales ob oculos habuisse, id quod supra ex Arnob. II 69 verbis concludere licebat.

Sequentibus locis Servianis libri Etruscorum et Etrusca disciplina commemorantur. Sed cum secundum compilatorum morem his locis alios auctores ac Labeonem excerptos esse verisimile non sit, hic quoque eundem auctorem esse ac locis supra allatis censere licet. Primum profero locum Servii ad Aen. III 537: „. . ., sed quia in libris Etruscis invenitur etiam equos bona auspicia dare, subiunxit „spes est pacis ait" quem ex libris ritualibus Etruscorum sumptum esse Schmeisser l. c. p. 17 sq. docet. Quibus cum verbis coniungimus adnotationem ad Buc. IV 43, ubi de miro colore animalium est: „traditur enim in libris Etruscorum, si hoc animal miro et insolito colore fuerit infectum, omnium rerum felicitatem imperatori portendi . . ."[1]) Tum ex libris ritualibus haec sumpta sunt, Serv. ad Aen. IV 166: „Prima et tellus satis perite loquitur: nam secundum Etruscam disciplinam nihil tam incongruum nubentibus, quam terrae motus vel caeli (dicitur)." Tum libri Etruscae disciplinae reconditi significantur Serv. ad Aen. II 649: „tria sunt fulminum genera . . . etc. hoc scriptum in reconditis invenitur," quo de loco infra dicetur, ubi libros fulgurales tractabimus. Quo nomine libros fulgurales appellari iam Schmeisser l. c. p. 20 adn. 93 cognovit. Item libri reconditi Etruscorum adferuntur, de quibus K. O. Müller l. c. II 126 disputat, apud Serv. ad Aen. I 398. Qui libri non semper consulebantur, sed in summo discrimine rerum. Cum in auguriis non observarentur nisi certae aves, in libris reconditis omnis avis augurium praebebat. Servii verba sunt haec: „Multi tamen adserunt cycnos inter augurales aves non inveniri neque auguralium commentariis eorum nomen inlatum, sed in libris reconditis esse, posse quamlibet avem auspicium adtestari, maxime quia non poscatur. Hoc enim interest inter augurium et auspicium, quod augurium et petitur et certis avibus ostenditur, auspicium qualibet avi demonstratur et non petitur . . . etc." Ex verbis „multi adserunt" Servium hic libro usum esse videmus, in quo instituta Romanorum cum Etruscorum comparabantur. Quod hominem recentioris saeculi fecisse veri simile est, ut hac quoque re ad Cornelium Labeonem reducamur.

[1]) confer Macrob. sat. III 7, 2.

Cum in libris reconditis a Servio adhibitis de fulguribus quoque verba facta esse viderimus, et quoniam Arnob. II 69 Tagete appellato de disciplina fulgurali admonebat, habemus, quod Cornelium Labeonem de hac quoque parte Etruscorum disciplinae disseruisse credamus, cum eam in summa auctoritate fuisse sciamus. cf. Senec. Natur. quaest. II 34: „quicquid exta, quicquid aves minabuntur, secundo fulmine abolebitur". Eandem sententiam invenies apud Serv. ad Aen. IV 161. At si quis de Cornelio Labeone Servii auctore dubitaverit, quis tandem ei hanc remotam doctrinam Etruscae disciplinae tradidit? Neminem nisi Plinium Secundum in Natur. histor. libri II § 137—149 aut Senecam in Natur. quaest. II 31—49 de hisce rebus temporibus Caesarum scripsisse scimus. Ubi hos tres auctores Servium, Plinium, Senecam dico, inter se comparaverimus, nihil aliud nisi omnes ex eodem fonte hausisse inveniemus. Neque alter ab altero pendet. Quis eorem fons fuerit, et Seneca l. c. et Plinius in auctorum indice alterius libri l. c. docent. Fuerunt Caecinae libri. At Servium eius libros ipsum inspexisse minime veri simile est, immo haec ex eodem auctore ex quo ceteram doctrinam Etruscorum hausit, descripsit. Qua in re Schmeisserum[1]) mecum

[1]) Schmeisser: Quaestionum de Etrusca disciplina particula p. 27.

consentire gaudeo: „Quae passim in Servianis commentariis ad Vergilii Aeneidem leguntur de fulminibus, e Caecinae opere, etsi non ipso, tamen ex alicuius libris, qui illum exscripsit, fortasse e Cornelii Labeonis originem trahere videntur". Caecinam Labeonis auctorem apud Servium esse Schmeisser l. c. p. 27 sq. et in libro, qui inscribitur: die Etruskische Disziplin etc., cf. p. 13 sq., illustrat. Iam singulos locos Servianos, in quibus frustula disciplinae fulguralis abdita sunt, enumeremus! At imprimis his locis compilatorum laborem cognoscere licet, quippe qui exemplaria ne describere quidem recte possent. Etrusci ea fulmina distinguebant, quae Iuppiter solus convocatis duodecim dis, qui lingua Latina Consentes vel Complices appellantur, iacere solet. Alterum fulgurum genus tum demum deicitur diis involutis, quorum nomina ignoramus, interrogatis cf. Müller II 83 l. c. Quae doctrina satis difficilis est, ut etiam Arnobius, qui ipse Labeonis libros inspexit, totam rem confundat, cf. Arnob. III 40, quo de loco Müller l. c. II 84 adn. 6 recte iudicat. De dis, qui potestatem iaciendi fulmina habeant Serv. ad Aen. I 42 loquitur: „Sed cum Varro divinarum quinto quattuor dis fulmina adsignet, inter quos et Minervae, quaeritur, cur Minerva Iovis fulmen miserit. Antiqui Iovis solius putaverunt esse fulmen, nec id unum esse, ut testantur Etrusci libri de fulguratura, in quibus duodecim genera fulminum scripta sunt, ita ut ⟨est⟩ Iovis, Iunonis, Minervae, sic quoque aliorum: Nam de Iunonis fulmine Accius ait praefervido fulgore ardor iniectus Iunonis dextra ingenti incidit, quare tum non posuit Minervam misisse fulmen suum? sed multi dicunt, habere quidem Minervam ut Iovem et Iunonem fulmen, sed non tantum valere, ut vindictam suam possit implere, nisi usa esset Iovis fulmine: unde merito Iuno queritur, Minervam, cum de numero minorum sit, qui fulmen habent, usam tamen Iovis fulmine. Iaculata: in libris Etruscorum lectum est iactus fulminum manubias dici et certa esse numina possidentia fulminum iactus, ut Iovem Vulcanum Minervam, cavendum ergo est, ne aliis hoc numinibus demus". Quae tota adnotatio Servii maximi pretii est interpretibusque permagnas difficultates attulit. Neque enim Plinius eundem numerum deorum, qui manubias habeant, l. c. § 138: „Tuscorum litterae

novem deos emittere fulmina existimant eaque esse undecim generum, Iovem enim trina iaculari", indicat. Ut hanc discrepantiam, quae inter utrumque intercedit, e medio tolleret, Müller l. c. II 86 . . . „obgleich, inquit, auch Servius ad Aen. I 42 nicht wie Plinius 11, sondern 12 Manubien, also mit Jupiter 10 Götter zählt. Doch muß man hier vielleicht schreiben: „Antiqui non Iovis solius putaverunt fulmen nec id unum esse, ut testantur Etrusci libri de fulguratura, in quibus XI genera fulminum scripta sunt, ita ut Iovis, Iunonis, Minervae sic quoque aliorum". Equidem Müllerum hac coniectura veram medicinam Servii verbis attulisse negaverim, cum non scribendum sit id, quod per Etruscam disciplinam stat, sed id quod Servii ipsius fuit. Qua in re quomodo Servii error ortus sit quaerendum est, id quod nos Arnobii caput 38 libri III docet. Quoniam Labeonem omnes auctores, quorum nominibus Arnobius se iactat, usurpavisse constat, haec quoque eius verba: „deos novem Manilius, quibus solis Iuppiter potestatem iaciendi sui permiserit fulminis", theologo illi Romano vindicanda sunt. Quicumque Arnobii verba diligenter perlegit, facere non potest, quin decem deos fulmina mittere concedat. Iam Cornelium Labeonem a Servio exscriptum esse scimus, ut id, quod supra de deorum numero attulit, corrigere non liceat, quoniam in eorum fonte hic error fuerat. Itaque Thilo-Hagen recte fecerunt Mülleri coniectura non recepta in contextum Servii verborum. Alteram coniecturam de initio loci Serviani Merkel in p. 115 praefationis libri, qui inscribitur Ovidii Fastorum libri VI, commendavit. Qui ita scribendum esse censet: „Sed cum Varro divinarum III ⟨pro V⟩" quae scriptura verbis Nonii Marcelli p. 334: „Varro divinarum rerum libro III: Lucius Scipio cum aurum factum haberet in cista viminea, fulmine ita est ictus, ut cista esset integra, aurum colliquisset", probari videtur. Neque tamen accipienda est cum Servius non liquido dicat quinto libro, sed potius quinto divinarum. Namque fieri potuit ut de quinquepertita distributione singulorum librorum cogitaret, cuius in quinta parte dii tractabantur cf. Aug. civ. dei VI 3. Huic Serviano loco adiungimus eos, ubi nomina quoque deorum, qui fulmina mittunt, proferuntur cf. Serv. ad. Aen. VIII 429: „sane fulmen triplici prae-

ditum potestate est: est ostentatorium, peremptorium, praesagum ostentatorium quo terror incutitur, ut „fulgores nunc terrificos sonitumque metumque", at cum dicit „flammisque sequacitus iras" peremptorium docet ... non nulli vero manubias fulminis his numinibus, id est Iovi, Iunoni, Marti et Austro vento adserunt attributas, quod hoc loco ostendunt. Nam cum dicit „tris imbris torti radios", Iovem significasse intellegitur; cum vero „tris nubis aquosae" Iunonem intellegit; cum autem „rutili tris ignis" Martem; et sic adiectum „alitis Austri", scilicet venti alii ideo ternorum radiorum volunt mentionem factam, quia fulmen trisculum est, aut enim terebrat, aut incendit, aut urit aut dissipat". Quae postrema verba secundum Schmeisseri emendationem l. c. p. 14 adn. 59 scripsi. Qua in re illud, quo auster ventus fulgura mittendi potestatem habere dicitur, ab interpolatore ipso additum esse contra Etruscam disciplinam commemoro cf. Schmeisseri commentationis l. c. p. 27. Propria Servii est illa fulgurum in ostentatoria, peremptoria, praesaga, divisio quae apud nullum scriptorem recentiorem Etruscae disciplinae invenitur cf. Müller l. c. II 170. Quae divisio nos non de Caecinae libris admonet, ut iterum Cornelii Labeonis industriam diligentiamque cognoscamus, qui omnia, quae de aliqua disciplina aderant, collegit excerpsitque. Iam supra Labeonem sententias physicorum et mythicorum contulisse vidimus. Certe physici hoc Serviano loco adlati — verba non exscripsi — alterum argumentum praebent, quo totum locum Labeonis esse confirmatur. Iidem physici cum Etrusca disciplina coniuncti apparent apud Serv. ad Aen. VIII 427: „nam dicunt physici de sedecim partibus caeli iaci fulmina ... ergo hoc dicit: faciebant fulmen in eorum similitudinem, quae Iuppiter iacit toto caelo, hoc est de diversis partibus caeli, scilicet sedecim". Quae verba Etruscorum doctrinam sapere Müller l. c. II 133 sqq. illustravit. Ac cum Senecae verbis l. c. II 39 concordant, quae apud Serv. ad Aen. VIII 524 sunt: „tria genera fulgoris esse dicuntur: unum consiliarium, ubi quid cogitantibus nobis accidit, quod vetat aut hortatur; alterum auctoritatis, quod evenit re gesta, quod probet; tertium statum est, ubi nec novi quicquam gessimus nec cogitamus, sed quietis nostris rebus fruimur, sed duo haec, quae sequuntur, ad locum

hunc non pertinent ..." Quo cum loco coniungenda sunt haec Servii ad Aen. II 649: „tria sunt fulminum genera: est quod adflat, quod incendit, quod findit; de hoc autem siluit, fulminatus autem est Anchises, quia se cum Venere concubuisse iactabat ... bene dixit, quia scit, non iaci fulmina nisi cum flatu ventorum ut in VIII ⟨429⟩ ... Sane de fulminibus hoc scriptum in reconditis invenitur: quod si quem principem civitatis vel regem fulmen afflaverit, et supervixerit, posteros eius nobiles futuros et externae gloriae". Valde confusa esse videtur haec divisio fulgurum apud Serv. ad Aen. I 230 „est enim fulmen quod terreat, est quod adflet, ut fulminis adflavit ventis; est quod puniat, ut vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras: peremptorii autem fulminis late patet significatio: est quod praesaget . . . etc." Denique locus adferendus est, qui primo obtutu redire ad Etruscam disciplinam videtur. Serv. ad Aen. I 43: „quidam volunt fulminum genera quattuor esse: unum quod dicitur dissiciens idemque fragosum, alterum transfigens, tertium corripiens, quartum infigens: quas omnes species more suo in unius fulguris adscriptione attigit dicens primum: „disiecitque rates" secundum: „illum exspirantem transfixo pectore" tertium: „turbine corripuit", quartum: „scopuloque infixit acuto". Nonne haec divisio ex ipsis Vergilianis verbis videtur esse excogitata? Equidem non negaverim, cum nusquam talis divisio legatur. Accedit, quod Vergilii interpretes[1]) hunc modum adamare supra demonstratum est.

Iam venimus ad libros de extis compositos. Si supra Fulgentio tanta fides habebatur, ut eum non mentiri dicentem Cornelium Labeonem Tagetis libros explanavisse concesserimus, licet ei fidem habere, cum eundem theologum Romanum de extis quoque scripsisse dicat: cf. s. v. manales: „Fibrae iocineris sandaracei coloris dum fuant, manales tunc verere opus est petras". Certe non casu fit, ut Servius quoque de hostiae iecore loquatur. Equidem hos quoque locos ad Cornelii Labeonis doctrinam refero. cf. Serv. ad Aen. X 176: „fibrae sunt iecoris

[1]) A quo Servio Cornelii Labeonis praecepta tradita sint, infra disceptare conabor.

extremitates". Quae verba iterum sunt apud Servium ad Georg. I 120: „unde et iocineris extremae partes fibrae a nonnullis appellantur". Difficile autem dictu est, num omnia verba Servii Cornelio Labeoni vindicanda sint. Quod Nigidii nomen hic apparet, forsitan sententia nostra confirmetur, at hic scriptor doctissimus saepius in scholiis imprimis ad Verg. Buc. et Georg. profertur, quam ut eius doctrina Servio per solum Labeonem tradita esse possit. Namque de omnibus fere rebus libros composuit, ut a multis auctoribus adhiberi potuerit. Loci, quibus eius nomen profertur sunt hi: ad Aen. X 175, XI 715, ad Buc. IV 10, ad Georg. I 19, I 43, I 47, I 120, I 218, I 260, III 146. Nigidium per Aulum quoque Gellium Servio traditum esse, ex verbis Serv. ad Georg. I 260 intellegitur, ubi prior Aulus Gellius nominatur, tum Nigidius. At Nigidii verba iam Gellius in noct. Attic. X 11, 1 adscripsit. Coniungenda sunt Servii verba ad Georg. I 43 et I 218, cum utroque loco commentarius sphaerae graecanicae commemoretur. Haud scio an ad Cornelii Labeonis studium redeant verba Serv. ad Buc. IV 10, ubi libri de diis compilati sunt, quos Cornelium Labeonem usurpavisse Arnob. III 40 docet. Num Labeonis sit id quod Servius ad Georg. I 19 dicit, valde dubium est, cum hic de Triptolemo Graecorum deo verba fiant.

Restat, ut nonnullos deos tractemus, quorum scientia Servio a nullo nisi a Cornelio Labeone tradi potuit, Lares[1]) dico. Ex Servii ad Aen. III 168 verbis animas humanas deos fieri scimus, at Servius pergit loqui Labeonem dixisse animas fieri d e o s P e n a t e s e t v i a l e s cf. Serv. verba: „hi autem sunt dii penates et viales". Qui dii viales sunt lares viales

[1]) vel nomen ipsum nos de Etruscis admonere, id quod Müller l. c. II 92 censet: „daß die Laren dem tuskischen Glauben angehören, davon überzeugt schon der Name, der sowohl Larth, wie Laris, bei den Etruskern gewöhnliche Vornamen waren die aus einem Ehrennamen entstanden sein müssen", negaverunt Wissowa (Roscher Lex. s. v. lares p. 1869: „Ein Zusammenhang mit der auf etruskischen Spiegeln häufig vorkommenden Lasa... liegt auf keinen Fall vor, ebensowenig wie der etruskische Vorname Larth... von Lases gebildet sein kann",) et Walde: Latein. etymol. Wörterbuch s. v. lar.

cf. Arnob. III 41. Ubi hi Lares habitent, Serv. ad Aen. III 302 dicit: „nam in ipsis ⟨id est lucis⟩ habitant m a n e s p i o r u m, qui l a r e s v i a l e s sunt". Tum Lares non eosdem esse ac deos penates ad Aen. VI 152 cognoscimus: „. . . omnes in suis domibus sepeliebantur, unde ortum est, ut lares colerentur in domibus: unde etiam umbras larvas vocamus a laribus, nam dii penates alii sunt". Hanc doctrinam Servium ex Cornelio Labeone sumpsisse mihi quidem constat. Quoniam a Servio lares esse animas piorum didicimus, idem ad Aen. III 63 manes esse animas noxias docet: „Manes sunt animae illo tempore, quo de aliis recendentes corporibus necdum in alia transierunt. sunt autem noxiae, et dicuntur κατὰ ἀντίφρασιν: nam manum, ut supra ⟨I 139⟩ diximus, bonum est, unde et mane dictum est. — alii manes a manando dictos intellegunt: nam animabus plena sunt loca inter lunarem et terrenum circulum unde et defluunt. Quidam manes deos infernos tradunt, quidam alios manes, alios deos infernos. alii manes nocturnos esse eius spatii, quod inter caelum terramque est, id ideo umoris, qui noctu cadit, potestatem habere: „unde mane quoque ab isdem manibus dictum". At cavendum est, ne tota adnotatio Servii Labeoni vindicetur. Equidem nihil aliud theologi Romani esse nisi verba: „alii a manando — defluunt" putaverim. Item ex Cornelio Labeone fluxit id, quod apud Serv. de indigetibus et novensilibus est. Utrosque ortos esse ex animis humanis contendit. Primum cf. Arnob. III 39: „sunt praeterea nonnulli, qui ex hominibus divos factos hac praedicant appellatione ⟨novensilum⟩ signari". Idem Servius docet ad Aen. VIII 187: „sane quidam veteres deos novensiles dicunt, quibus merita virtutis dederint numinis dignitatem". De dis ex animis humanis creatis Labeonem in libro, qui inscribebatur: de diis animalibus, disputavisse concludi potest. Eadem sententia Servii est de dis indigetibus. cf. ad Aen. XII 794: „et indigetes dii duplici ratione dicuntur: vel secundum Lucretium, quod nullius rei egeant, qui ait ⟨II 650⟩ ipse suis pollens opibus nihil indiga curae: vel quod nos deorum indigeamus, unde quidam omnes deos indigetes appellari volunt. alii patrios deos indigetes dici debere tradunt, alii ab invocatione indigetes dictos volunt, quod „indigeto" ut

precor et invoco: vel certe indigetes sunt dii ex hominibus facti, et dicti indigetes quasi in diis agentes“. Qua in Servii adnotatione non omnia Labeoni vindicanda sunt. Nihil nisi verba: „vel certe indigetes — agentes“ de Cornelii sententiis admonet. Alter locus, ubi eadem leguntur apud Serv. ad Georg. I 498 est: „patrii dii sunt, qui praesunt singulis civitatibus, ut Minerva Athenis, Iuno Carthageni. indigetes proprie sunt dii ex hominibus facti, quasi in diis agentes, abusive omnes generaliter, quasi nullius rei egentes“.

Comparantur inter se, quae Servius et Labeo de anima humana docuerunt.

Cap. X.

Quoniam Cornelium Labeonem de anima humana disputavisse supra illustratum est, omnia, quae Servius, quippe qui alibi eius doctrinam venditet, ad Verg. Aen. VI 703 sqq. de animis mortuorum adnotat, ex illo fluxisse suspicari licet. Ad opinionem de hac re prorsus aliam Schmekel[1]) pervenit hoc fere modo raticionatus. Ex concentu, qui intercedit inter commentatorem Lucani IX p. 291, 3 sqq. et inter Augustini civ. dei XXI 13, utrumque ex eodem fonte hausisse apparet. cf. verba eius: „Beide Erklärungen stimmen so augenfällig überein, daß der Schluß sicher ist, daß sie beide aus derselben Quelle entlehnt sind“. Quae conclusio mihi videtur esse satis praepropera, cum nulla alia re nisi Vergilii versibus adlatis concordent. Accedit, quod Augustinus plures versus quam Lucani commentator adfert. Tum ambo de purgatione animarum elementis efficienda loquuntur, quod quidem ex Vergilii ipsis versibus sumere potuerunt. At Augustinus neque Pythagoram, cuius nomen apud Lucani commentatorem legimus, commemorat neque Lucani commentator Platonicos, quos citat Augustinus. Quibus cum locis Schmekel Servii disputationibus ad Aen. VI 733, 740—41 comparatis haec verba facit: „Aus dieser Übereinstimmung folgt, daß entweder alle drei diese Erklärung einer gemeinsamen Quelle entlehnt haben, oder daß Augustin oder der Verfasser des Lukankommentars auf Servius zurückgehen, so daß wir in ihrer Erklärung die des unverkürzten Vergilkommentars desselben besäßen“. Ne haec quidem sententia teneri potest, quia concentus minor est, quam ut omnes ex eodem fonte doctrinam hausisse conicere liceat. Equidem nihil aliud contendere ausim nisi omnibus tribus locis adlatis animas dici corporibus depositis igni et aqua et ventis purgari. Quae ex communi fonte ⟨Neoplatonico fortasse⟩ sumpta esse concedo, at omnes tres auctores ipsum eundem librum compilavisse negandum esse censeo. Accedit altera ratio. Schmekel enim pergit concludere in hunc fere modum: Servius, quandoquidem similia atque commentator Lucani et Augustinus profert et cum ex eodem auctore doctrinam suam descripserit, enarrationem inter se cohaerentem exhibet. cf. l. c. p. 106 sqq.: „Daraus folgt, daß auch bei Servius diese Erklärungen zusammengehören und in sich eine Einheit bilden“. Quos locos Servianos inter se cohaerere nemo est, quin videat, at haec placita ab homine plane socordi conlata esse me demonstraturum esse spero, qui satis non habuerit unum eundemque auctorem compilare, complures sententias quamquam inter se pugnantes conglutinavit. Ut hanc opinionem comprobem singulas adnotationes Servii pertractemus!

[1]) Schmekel, Die mittlere Stoa p. 104 sqq.

Incipiamus ab adnotatione ad Aen. VI 713, ubi non omnes animas post mortem in corpora humana redire cogi dilucide adseveratur. Illae enim, quae bene vixerunt, aeterno gaudio immortalitateque dignae putantur. cf. Servii verba: „aliquae ⟨animae⟩ enim propter vitae merita non redeunt“.

Ad proximum Vergilii versum commentatio ex diversis philosophorum disciplinis esse composita videtur, re vera tota ex Neoplatonico fonte fluxit. Initium nos admonet de doctrina Stoicorum, quam interpretes ex ipsis Vergilii versibus sumpserunt. Tum legis doctrinam, secundum quam animae in corpora humana redeuntes oblivionem bibunt. Quam rem in Platonis libris sescenties invenimus. In sequentibus pronuntiatis Servius explicat, quae ex Neoplatonicorum scholis orta sunt,

cum animas in corpora humana redeuntes per singulos circulos Planetarum in terram descendere et ex singulis malas pravasque qualitates secum trahere contendat: „anima descendens quid per singulos circulos perdat . . . quia cum descendunt animae trahunt secum torporem Saturni, Martis iracundiam, libidinem Veneris, Mercurii lucri cupiditatem, Iovis regni desiderium". Qua in re de Platonis philosophia in Timaeo exposita cogitari vetat Zeller l. c. II¹ p. 820. Immo hic de nullo nisi Porphyrio et eius discipulis cogitare licet. Neque enim fieri potest, ut circulos hic commemoratos eosdem esse credamus, ac quos Servius ad versus 127 et 439 VI libri describit, qui per allegoriam referuntur ad Tartari flumina — de hac re infra disputabo! — sed hoc loco illi circuli significantur, quos philosophorum Graecorum primum Porphyrium docuisse constat. Eidem philosopho vel eius discipulis assignanda est adnotatio Servii ad Aen. XI 51, ubi de descendentibus animis ex singulis planetis ⟨id est circulis⟩ cognoscimus: „. . . ideo quia, ut dicunt physici, cum nasci coeperimus, sortimur a Sole spiritum, a Luna corpus, a Marte sanguinem, a Mercurio ingenium, a Jove honorum desiderium, a Venere cupiditates, a Saturno humorem." Quibus in verbis eandem sententiam atque in superioribus inesse nemo est, quin videat. Idem Servius enarrat his verbis: „Secundum physicam disciplinam dicit: tradunt enim physici omnia nos mereri a superis, quae rursus extincti reddimus ipsis potestatibus supernis, quod et Plato videtur astruere qui dicit, quod cum de effluxione fontium non aliarum quarumlibet rerum, sed ipsarum stellarum, fuerint animae corporibus commodandae ⟨scr. datae⟩, quicquid de ipsis fontibus stellarum ebullit, hoc intellegi deberi stellas, ergo priusquam in corpora ingrediantur animae, per haec signa erratica transeuntes singula supra dicta singula accipiunt, item exeuntes singula singulis redhibere dicit, quae in corpus venientes perceperunt." At Schmekel Servium de Stoicis nos admonere his placitis prolatis ratus, ut sententiam suam confirmet, hanc enarrationem cum Arnob. II 28 comparari iubet p. 112. Arnobii placita, quae in altero libro sunt, ex homine Neoplatonicorum partes secuto excerpta esse supra demonstratum est. At cum Schmekel Arnobii verba Stoicorum disciplinam sapere censeat, quo, quaeso, modo interpretatur verba: „quo sint ordine a patre discretae" ⟨animae⟩? Quae referri ad cap. 25 eiusdem libri supra demonstratum est, quo in capite apologetam librum sententiis Neoplatonicorum Chaldaeorumque compositum exscribere vidimus. Accedit, quod hoc quoque loco illi circuli apparent, qui nos de Neoplatonicis admonent. Eandem opinionem apud Arnobium II 33 legimus: „alas vobis adfuturas putatis, quibus ad caelum pergere atque ad sidera volare possitis."

Quo cum loco Serviano coniungo interpretationem versus 127. In primis enuntiatis Tartarum non esse commentator adseverat; eandem sententiam Stoicos funditus reprobavisse scimus, ut haec verba Serviana, id quod Schmekel vult, ad Posidonium redire possint. Quae in sequentibus versibus de circulis planetarum et de duobus magnis circulis dicuntur, quibus flumina Tartari per allegoriam significantur, Neoplatonicorum doctrinam esse Norden [1] mea quidem sententia optime illustravit prolatis his verbis Favonii Eulogii ad Ciceronis Somnium Scipionis, quae exscribo ⟨p. 13 sq. Holder⟩: „ex quo mihi videtur Maro . . . dixisse illud novies Styx interfusa coercet, terra enim nona est, ad quam Styx illa protenditur: mystice ac Platonica dictum esse sapientia non ignores." Huc accedunt verba ipsius Servii, quibus in fine huius adnotationis animas piorum corporibus mortuis ad superiores circulos ascendere affirmat: „qui deprehenderunt bene viventium animas ad superiores circulos, id est ad originem suam redire." Si haec verba sola apud Servium legerentur, fieri posset, ut ad Stoicos referremus, quos docuisse scimus animas piorum in altioribus regionibus versari quam scelestorum. At hoc placitum Stoici ita definiverunt, ut animas et daemones spatium, quod inter terram et lunam intercedit, obtinere dicerent. Quod spatium in diversas regiones dividebant; cf. Schmekel l. c. p. 256 ⟨Posidonii doctrina⟩. Servium autem de circulis singularum planetarum cogitare licet ex verbis supra allatis concludere: „planetarum

[1]) Norden, Aeneis Buch VI p. 29.

scilicet septem, Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii Lunae et duorum magnorum." Propterea in hunc quoque locum Servianum Neoplatonicorum placita inmixta esse adfirmo. Denique cum hoc loco ea, quae Servius ad versum 439 profert, coniuncta perlustremus, cum ipse nos de adnotatione ad versum 127 prolata admoneat. Servius circulos esse mundum et Stygem flumen terram dicit. Tartari flumina referri ad mundum et Stygem terram esse Orphici opinabantur, id quod Norden l. c. p. 30 conlato fragmento 156 Orphicorum ⟨ed. Abel⟩ ostendit. Qua cum opinione apud Servium altera conexa est, secundum quam singuli circuli singulas virtutes cupiditatesque continere dicuntur. cf. Serv. verba: „dicunt intra novem hos mundi circulos inclusas esse virtutes in quibus et iracundiae sunt et cupiditates." Quemadmodum Servius hoc cogitatione sibi finxerit, mihi perspicuum non est. Haud scio an eadem opinio sit, quam in adnotatione versus 714 deprehensam supra pertractavimus.

Serv. ad Aen. VI 719: Fortasse in his quoque verbis placita Platonicorum abdita sunt, cum quaeratur, num animae corporibus mortuis ad caelum redeant. cf. Servii verba: „Secundum philosophos vero hoc dicit: credendum est animas corporis contagione pollutas ad caelum reverti?"

Longe gravissima disputatio de anima humana est apud Serv. ad Aen. 724. Initium huius capitis legentes de disciplina Stoicorum admonet, qui quattuor elementa esse dicebant praeter summum spiritum ⟨πνεῦμα⟩ per omnia elementa pertinentem. cf. Zeller l. c. III[1] p. 138. Iidem philosophi animam, quippe quae pars summi spiritus esset, immortalem esse neque dirui posse docebant, cum corpus post mortem dilaberetur. cf. Zeller l. c. p. 200. Tum Stoicorum doctrinam sapiunt, quae Servius de indole singulorum hominum adfert. Putat enim hanc differentiam oriri regionibus, in quibus homines habitent. Ac Schmekel l. c. p. 262 hoc Posidonium docuisse demonstrat. At ex nomine Ptolemaei prolato, qui clarus habebatur circa annum p. C. n. 160, totam disputationem post hunc annum compositam esse concludere licet, nisi quisquam geographi nomen postea intrusum esse contendit. Quae res argumentis probari non

potest. Tum haec verba ex homine vere philosopho descripta non esse vel inde cognoscitur, quod in eadem pagina Servius sententias inter se pugnantes profert. Supra enim secutus Stoicorum praecepta animam humanam pati non posse adseverat: „quod ideo falsum esse dicimus, quia animus per se nihil patitur." Paulo infra Servius horum verborum oblitus cur animae corporibus depositis in Tartaro poenis afficiantur, exponit. Verba eius adscribo: „si ergo recipit naturam suam, quare poenas apud inferos patitur? ideo quia res, quae simul diu fuit, non potest deposita ipsa re statim ad suum nitorem reverti." Animas in Tartaro non posse pati iam Posidonius docuit. cf. Schmekel l. c. p. 256. Ex superstitione vulgi purgationem animarum, quae elementis fit, repetitam esse Norden l. c. p. 31 illustravit. In hac igitur disputatione diversas sententias inepte coniunctas videmus. In fine quoque huius adnotationis Servius de passione animae, quam supra negavit, loquitur: „nam animus, in quo est passio, meretur reverti."

Ea, quae Servius ad proximos Vergilii versus adscripsit, ex homine, qui Stoicorum doctrina imbutus erat, petita esse possunt. Imprimis magni momenti, quantum attinet ad Schmekelii sententiam, Servii adnotatio versus 733 est, ubi Varronis nomen adfertur, qui iam ad versum 703 nominatus est: „Varro et omnes philosophi dicunt quattuor esse passiones."

Miram enarrationem Servius ad versum 739 praebet, ubi primum animas poenas pati omnino non posse declarat, immo „reliquiae illius coniunctionis, quae antea constabat inter corpus et animam", cruciatibus tormentisque secundum eius opinionem afficiuntur. Quo ex contextu verborum mediam quandam corpore superiorem naturam esse inter corpus et animam, quae nulla materia contaminata est, concludere cogimur. Quod animal, ut hoc verbo deteriorem animam significemus, corpore mortuo cruciatus patitur. Quae omnia ad vitam post mortem referri ex verbis „corpore deposito" intellegitur. Quae cum ita sint, sequentia enuntiata Serviana plane falsa atque futilia sunt: „nam licet ista duo per se poenas perferre non possint, homo tamen perfert, qui de his duobus est factus." Quibus verbis sententiam prioris enuntiati explanari nemo est, quin neget,

quoniam Servius ibi de animis mortuorum disserit, ut illud: „homo tamen perfert“ nihili sit.

Altera opinio legitur ad versum 741, ubi animas pollutas post mortem vento, aqua, igni purgari commemoratur, quam sententiam iam supra deprehendimus. Neque hic illa purgatio tali modo explicatur, quali supra explanatam ex opinione vulgi vidimus cf. Norden l. c., sed cum metempsychosi Pythagoreorum commixta est, cf. Servii verba: „aut enim in terra purgantur, quae nimis sordibus oppressae fuerint, deditae scilicet corporalibus blandimentis, id est transeunt in corpora terrena: et hae igni dicuntur purgari: ignis enim ex terra est, quo exuruntur omnia, nam caelestis nihil perurit, aut in aqua, it est transeunt in corpora marina e. q. s“. In versibus, qui sequuntur, hae purgationes comparantur cum iis, quae in sacris Liberi apparari solebant, ut haec iam in Servii fonte fuisse conicere debeamus. Quod memoria tenendum est, quia infra, ubi de auctore Servii quaestionem instituemus, ad ea redibimus.

Ad Virgilii versum 743 Servius omnibus hominibus binos genios adesse adnotat: „unus est qui hortatur ad bona, alter qui depravat ad mala“. Sed cum in litteris Romanorum non inveniatur nisi unus genius, Roscheri in lexico Birt[1]) haud perperam cogitavisse videtur illam opinionem Servianam repetitam esse ex litteris Graecorum, qui inter κακοὺς καὶ ἀγαθοὺς δαίμονας distinguebant. Neque in libris philosophorum aut poetarum bini genii singulorum hominum occurrunt. Apuleius quidem hominibus adesse genios quosdam opinatur, neque certus daemon unicuique est cf. Zeller l. c. III [2] p. 211. Certum bonum daemonem — christiani eum angelum vocarent — Iamblichus demum singulis hominibus adsignat cf. Zeller l. c. III [2] 693. Ne hic quidem philosophus de malo genio loquitur, qui cuique adsit. Sed quoniam permulta ex opinione vulgari in Servianis libris esse invenimus, hanc quoque de binis geniis sententiam ex eodem fonte fluxisse putare licet. Quae non perperam cogitata esse Usener[2]) illustrat.

---

[1]) cf. Roscher s. v. genii II 1616.
[2]) Usener, Götternamen p. 295 sq.

In adnotatione ad versum 745 Servius longe abhorret a sententia ad versum 713 prolata, ubi nonnullas animas propter vitae virtutes dignas esse dicebat, quae in corpora iterum descendere non cogerentur. At hic eadem quaestione mota longe aliter sentit. Ut differentiam, quae inter utrumque locum intercedit, cognoscas, Servii verba adfero:

Serv. ad Aen. VI 713: „sciendum non omnes animas ad corpora reverti: aliquae enim propter vitae merita non redeunt, aliquae redeunt propter malam vitam, aliquae propter fati necessitatem“ et cf. Serv. ad Aen. VI 745: „et quaeritur, utrum animae per apotheosin, de quibus ait pauci laeta arva tenemus possint mereri perpetuam vacationem quod non potest fieri: merentur enim temporis multi, non perpetuitatis, et quae male vixerunt statim redeunt, quae melius tardius, quae optime, diutissimo tempore sunt cum numinibus“. Haec quoque verba nos de Platonicis vel Neoplatonicis admonent.

Ubi ex his omnibus locis colligimus, quis auctor Servii fuerit in hac commentarii parte, fieri non potest, quin eum hominem fuisse dicamus, qui placita Platonicorum, Stoicorum, Pythagoreorum, Neoplatonicorum cum opinionibus, quae in populo et in mysteriis — supra mysteria Orphicorum commemorata sunt — vigebant, miscebat. Tum ubi eorum, quae Favonius Eulogius adnotabat, rationem habemus, eum hominem Neoplatonicum fuisse credere cogimur. Neque hoc contendi esse debemus, quoniam circuli supra commemorati legentes de Porphyrii Neoplatonici aetate admonent. Etiam si altera argumenta aetatem nomenque huius auctoris constituendi deessent, Cornelium Labeonem auctorem esse putaremus, praesertim cum hunc theologum de anima humana disputavisse, tum mysteriis Orphicorum studuisse sciamus. At accedit altera ratio, qua haec sententia comprobatur confirmaturque. Arnobius enim in libro II cum iis, quae Servius ad sextum Vergilii librum adnotat, saepenumero consentit, id quod Schmekel l. c. p. 110 sqq. bene ostendit; loca congruentia adferre satis habeo:

Serv. ad Aen. VI.

v. 724: Demum non perire manifestum est, ergo nec animus perit, qui inde originem ducit . . . 746 aurai simplicis ignem] ignem sensualem i. e. deum; per quod, quid sit anima, ostendit . . . simplicis autem nostri comparatione, qui constat de ligno et aere. ille enim per se plenus est et aeternus, qui simplex; omnia enim . . . composita exitum sortiuntur . . . 724 et occurrit illud: omne quod corrumpitur, aeternum non est; si animus insanit irascitur desiderat timet, caret aeternitate, cui sunt ista contraria. nam passio aeternitatem resolvit. Quod ideo falsum esse dicimus, quia animus nihil per se patitur, sed laborat ex corporis coniunctione.

703: tractat de Platonis dogmate, quod in Phaedone positum est περὶ ψυχῆς . . . de qua re etiam Varro in primo divinarum plenissime tractavit. 295: sequitur illud Pythagoricum . . . Acheronta vult quasi de imo nasci Tartaro, huius aestuaria Stygem creare, de Styge autem nasci Cocyton; et haec mythologia. Nam physiologia haec habet . . . 741: triplex est omnis purgatio: aut enim in terra purgantur [animae], quae nimis oppressae sordibus fuerint, deditae scilicet corporalibus blandimentis i. e. transeunt in corpora terrena, et haec igni dicuntur purgari, aut in aqua . . . aut in aere . . . 739: poenas non perferunt animae, sed illius coniunctionis reliquiae, quae fuit inter animam et corpus, nam licet ista duo per se poenas perferre non possint, homo tamen perfert, qui de his duobus est factus.

745: quaeritur, utrum animae . . . possint mereri perpetuam vacationem; quod non potest fieri . . . coguntur reverti . . . finito legitimo tempore.

719: miscet philosophiae figmenta poetica . . . secundum philosophos hoc dicit: credendum est animas corporis contagione solutas ad coelum reverti.

741: quae [animae] nimis oppressae sordibus fuerint, deditae scilicet corporalibus blandimentis . . . transeunt in corpora terrena . . . in corpora marina, si paulo melius vixerint . . . in aeria corpora, si satis bene vixerint.

Arnob. adv. gent. II.

c. 14: Quis . . . hominum non videt, quod simplex, quod sit immortale, nullum posse dolorem admittere; quod autem sentiat dolorem immortalitatem habere non posse. c. 27: atquin nos arbitramur, quod est unum, quod immortale, quod simplex quacumque in re fuerit, necessario semper suam retinere naturam, nec debere aut posse aliquod perpeti . . . omnis enim passio leti at interitus ianua est, ad mortem ducens via et inevitabilem rebus adferens functionem.

c. 14: Quid Plato idem vester in eo volumine, quod de animae immortalitate composuit, non Acherontem, non Stygem, non Cocytos fluvios et Pyriphlegetontem nominat, in quibus animas adseverat volvi, mergi, exuri?

c. 30: sed memoratae apud inferos poenae et suppliciorum generibus multiformes? et quis erit tam brutus . . . qui animis incorruptibilibus credat aut tenebras Tartareas posse aliquid nocere aut igneos fluvios . . ?

c. 13: Quid in Politico idem Plato? nonne cum mundus occoeperit ab occiduis partibus exoriri et in cardinem vergere, qui orientis est solis, rursus erupturos homines telluris e gremio . . ?

c. 33: Vos cum primum soluti membrorum abieritis e nodis, alas vobis adfuturas putatis, quibus ad caelum pergere atque ad sidera volare possitis, vos in aulam dominicam tamquam in propriam sedem remeaturos vos praesumitis.

c. 16: Quod si verum est, quod in mysteriis secretioribus dicitur in pecudes atque alias beluas ire animas improborum, postquam sunt humanis corporibus exutae.

714: cum coeperit [anima] in corpus descendere, potat stultitiam et oblivionem . . . obliviscitur autem secundum poetas praeteritorum, secundum philosophos futuri . . . docent autem philosophi, anima ad ima descendens, quid per singulos circulos perdat . . . cum descendunt animae, trahunt secum torporem Saturni, Martis iracundiam, libidinem Veneris, Mercurii lucri cupiditatem, Iovis regni desiderium, quae res faciunt perturbationem animabus, ne possint uti vigore suo et viribus propriis.

c. 28: Audiamus a vobis, quemadmodum dicitis animas, cum terrenis fuerint corporibus involutae priorum reminiscentiam non habere . . . quod si animae . . . membrorum impediuntur obstaculo, quominus artes suas reminiscantur, in corporibus ipsis quemadmodum . . . sciunt, quo sint ordine a deo patre discretae, ad infima haec mundi quanam ratione pervenerint, quas ex quibus circulis qualitates, dum in haec loca labuntur, attraxerint?

439: qui altius de mundi ratione quaesiverunt, dicunt intra novem hos mundi circulos inclusas esse virtutes et iracundiae sunt et cupiditates, de quibus tristitia nascitur i. e. Styx.

c. 16: at dum ad corpora labimur . . . humana, ex mundanis circulis sequuntur nos causae, quibus mali simus . . . cupiditatibus atque iracundia ferveamus . . . in libidinem publicam venalium corporum prostitutione damnemur.

Quo ex concentu, qui inter libros utriusque auctoris intercedit, Schmekel Servium ex Varronis libris totam illam doctrinam hausisse putat, quia Arnobium in libro II ad eundem auctorem redire sibi persuasit. cf. l. c. p. 112: „Daß Arnobius den Varro in diesem Werke benutzt hat, steht außer allem Zweifel, da er ihn nach seiner eigenen Angabe in allen folgenden Büchern ausschreibt. cf. Arnob. III 38, 39, 40, 41, IV 3, V 8, VI 3, 6, 11, VII 12" et cf. p. 60 commentationis Schmekelii, quae inscribitur: De Ovidiana Pythagoreae doctrinae adumbratione. Quae sententia haud ita recte stat ut primo obtutu videtur, cum fieri possit, ut Varronis doctrina Arnobio ab altero auctore

tradita sit. Quod ita se habere ex capp. 38, 39, 40, 41 libri III cognoscitur, quae Cornelio Labeoni vindicanda esse iam Kettner et Kahl l. c. admonuerunt, quamquam apologeta christianus Varronem iterum atque iterum testem citat. Ut sententiam suam probaret, Schmekel Arnobii alterum librum cum Tertulliano contulit in p. 114 sq. l. c. Neque quicquam ex hoc concentu concludere licet, cum non consentiant nisi capita II libri Arnobiani, quae omnino non cum doctrina de anima humana prolata conexa sunt. Quam ob rem non rectum mihi videtur esse ex his paucis locis concludere totum librum Arnobianum ex Varrone haustum esse. Denique Varronem ipsum a Cornelio Labeone usurpatum esse considerandum est, ut ne haec quidem capita Arnobii sententiae nostrae obstent. Quod Servius Varronem profert, nihili aestimandum est, cum eius nomen iam in fonte Serviano legi potuerit. Neque enim Vergilius et Servius eundem fontem excerpserunt. Cum Vergilium ex libro quodam Posidonii doctrinam hausisse Norden l. c. p. 22 suo iure demonstraverit: „Vergil hat eine apokalyptische Schrift des Posidonius zugrunde gelegt und sie in dem konventionellen Stil der ihm bekannten transzendenten Offenbarungspoesie bearbeitet", Servius Cornelii Labeonis libros compilavit.

Restat, ut eam quaestionem absolvamus, quis Servio Cornelii Labeonis praecepta tradiderit. Namque Servium ipsa Cornelii Labeonis opera inspexisse iam initio huius quaestionis negatum est. Equidem Labeonis placita diversis Vergilii commentariis in libros, quos vocamus Servianos, venisse putaverim. Quod attinet ad doctrinam animarum, quam in sexto libro Serv. ad Aen. deprehendimus, eam ex commentario ipsius Labeonis ad sextum Aeneidis librum pertinente fluxisse putaverit quispiam. Namque ipsam materiam valde mysticam imprimis hominem Neoplatonicum allexisse nemo negabit, qui aliquam notitiam Neoplatonicorum habet. At huic sententiae argumentum haud parvi aestimandum obstat. Arnobius enim, quem solum in II libro praeter Servium ea, quae Labeo de anima humana praeceperat, compilavisse scimus, nusquam Maronis nomen adfert. Si igitur Cornelius Labeo Vergilium in componenda animarum doctrina adhibitum interpretatus esset, eum Vergilii

nomen commemoraturum fuisse pro comperto habeo. Quo ex silentio apologetae christiani Labeonem commentarios ad Vergilium pertinentes non condidisse concludendum est. Quis autem Labeonis libros ad Vergilium interpretandum adhibuerit, plane ignoramus. Forsitan recta sit illa coniectura Nordeni l. c. p. 29: „als Verfasser möchte man an Marius Victorinus denken, den von Augustinus (cf. 8, 2 f.) hochgerühmten Neuplatoniker". At semper illud Linkii[1]): „Zu voller Gewißheit läßt sich die Sache nicht bringen" memoria tenendum est.

[1]) Linke, Abhdlg. Martin Hertz dargebracht p. 256, Berlin 1888.

Typis Roberti Noske Bornensis.

Vita.

Natus sum Fredericus Niggetiet in Guestphaliae oppido, cui est nomen Arnsberg, tertio die mensis Iunii anno proximi saeculi LXXXV. Parentes in vivis esse gaudeo. Postquam per novem annos gymnasium Tremoniense frequentavi, maturitatis testimonium assecutus anno huius saeculi quarto Almam Matrem Monasteriensem petivi, cuius etiamnunc sum civis. Docuerunt me viri doctissimi: Busse (†), Cauer, Geyser, Hosius (nunc Gryphiswaldensis), Jostes, Kappes, Koepp, Kroll, Lehmann, Meister, Radermacher, Schwering, Sonnenburg, Stahl, Streitberg. In seminario philologico, cuius sodalis ordinarius per duo semestria fui et per unum senior, docuerunt me viri doctissimi Hosius, Kroll, Radermacher, Sonnenburg, quibus optime de me meritis gratiam maximam habeo et semper habebo, imprimis Krollio, quo auctore et adiutore hanc commentationem perfeci.